DECRETORVM, CONSTITVTIONVM ET ARTICVLORVM REGVM INCLYTI REGNI VNGARIÆ.

TOMVS TERTIVS.

CONTINENS DECRETA AB ANNO DOMINI, Millesimo Quingentesimo Octuagesimo septimo & reliqua.

SVMMO STVDIO & DILIGENTIA ex Authenticis & Approbatis exemplaribus in Vnum opus collecta & coacervata.



VIENNÆ AVSTRIÆ.

TYPIS & SVMPTIBVS CASPARIS AB RATH, Sacræ Cæsareæ Maiestatis, necnon Antiquissimæ ac Celeberrimæ Vniuersitatis Viennensis Bibliopolæ ac Typographi Iurati.

ANNO. M. DC. XXVIII.

INCIPIT

RVDOLPHI SECVNDI ROMANORVM IMPERATORIS ET REGIS DECRETVM ANNO M. D. LXXXVII. Posonij editum.



OS RVDOLPHVS Secundus Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus, tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod fideles nostri, Domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri, Hungariæ & partium ei, subiectarum in generali ipsorum Conuentu, per nos eis iuxta reformatum Calendarium, ad primum diem, Mensis Nouembris, veteris verò Calendarij ad vigesimum secundum diem mensis Octobris Anni, Millesimi, quingentesimi, octogesimi septimi proximè transacti, indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi: ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt nobis & præsentarunt infrascriptos articulos, ad propositionem nostram, medio Serenissimi Principis Ernesti, Archiducis Austriæ, &c. Fratris nostri charissimi, eis factam, communibus & vnanimis ipsorum votis & suffragiis, generaliq; consensu conclusos supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos gratos, & accepta habentes: nostrumque Regium consensum illis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atq; tàm nos, ipsi obseruare, quàm per alios omnes quorum interest obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE Vniuersorum Statuum, & Ordinum Regni Hungariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum conuentu, iuxta reformatum Calendarium, ad primum diem, mensis Nouembris, veteris verò Calendarij, ad vigesimum secundum diem mensis Octobris Anno Domini, Millesimo, quingentesimo octogesimo septimo, indicto, Posonijque celebrato, conclusi.

Art. I.

PRimum Status & Ordines Regni Hungariæ, Domini Prælati, & Barones, ac cæteri Proceres, Serenissimo Principi & Domino Ernesto, Archiduci Austriæ, &c. Domino ipsorum clementissimo maximas & immortales gratias agunt, quòd Sacra Cæsarea Maiestate, Domino & Rege ipsorum clementissimo propter certas & maximè arduas causas, ad præsentem conuentum venire non valente, hunc laborē benignè subierit, vt sua Serenitas in medium ipsorum venire, ac se inter suam Maiestatem Cæsaream & ipsos Status, summa cum clementia interponere non dubitarit, ac in posterum quoque omne suum studium & operam, Statibus ipsis, tàm publicè quàm priuatim obtulerit, pro qua gratia suæ Serenitatis, ipsi quoque debita,

 & con-

& condigna fidei ac diligentiæ obsequia, prompto & beneuolo animo alacrites pollicentur.

ART. II.

SICVTI autem existimassent, & certò sperassent, quod sua Maiestas Cæsarea ipsamet, in medium suorum fidelium pro celebranda præsenti Diæta aduenisset, vt se maximis & extremis eorum grauaminibus & afflictionibus suæ Maiestati coram loqui & firmiorem spem à sua Maiestate ipsamet, auertendorum suorum malorum & restituendarum libertatum concipere potuissent: Quodq; Maiestas sua Cæsarea iuxta benignam oblationem, & potissimum annorum octogesimi secundi & octogesimi tertij, generales constitutiones, eo biennio, & postea quoq; ad hodiernum vsq; diem ipsas Regni libertates, pro sua in ipsum Regnum clementia reipsa & effectiuè restituisset; Ita ab eis octuagesimi secundi, & octuagesimi tertij annorum constitutionibus, ne modò quidem recidere valentes, sed eis iterum atq; iterum, innitentes supplicant suæ Maiestati Cæsareæ, si quidem hoc tempore sua Maiestas, ad eos, certis de causis venire nequiuit, vt finitis Imperialibus Comitijs, posteà primo quoque tempore generalia Comitia indicere & publicare dignetur, & in medium suorum fidelium ipsamet veniens, sicut sub præsenti Diæta per suam Serenitatem fratrem suum charissimum initium fecisse videtur eius rei, ita suam benignam oblationem, cum nunc statim, tum etiam deinceps intra anni spatium, ad effectum, quantum de iure & cum honore, & authoritate suæ Maiestatis id fieri poterit, perducere dignetur.

ART. III.

ET primo quidem, tam ea quæ de trimestri consilio, quam etiam prouentuum, & confiniorum Regni inquisitione, de quibus infra dicitur, hinc inde tractata sunt, acceptantes, postulant, atque hac generali constitutione serio statuendum censent, vt ipsi Consilio Hungarico, & omnibus ei annexis, sua competens, & pro ratione decens, ac necessaria authoritas reddatur.

ART. IV.

QVA ratione prouentus Regij imposterùm melius administrari, atque erogari possint, quæue authoritas Cameræ Hungaricæ esse debeat, inquisitione omnium rerum peracta, atq; informatione accepta, & vti pàr est atq; omninò necesse, in maturam deliberationem, ipso trimestris consilij tempore deducta, sua Cæsarea Maiestas vel sua Serenitas audita & perpensa Consilij Hungarici sententia, quæ maximè consentanea videbuntur constituat.

ART. V.

ITEM quia hoc tempore Palatinum creandi occasio non est, de omnibus autem tribus supremis Regni Capitaneatibus, ob certas causas simul & semel se sua Maiestas resoluere nequit: Supplicant humiliter, vt sua Maiestas siue nunc, siue intra anni reuolutionem, certò ita se resoluere dignetur, vt ea officia tàm videlicet in superioribus, vnus ex suæ Maiestatis fratribus, si suæ Maiestati ita placitum fuerit, quam etiam in his inferioribus Regni partibus, indigenæ à modo in posterum cum decenti & sufficienti authoritate obtineant. De executione verò, quæ pars Palatinatus esse dignoscitur, aut si forte vnus ex suis Serenitatibus, hanc conditionem suscepturus non sit, sua Maiestas aut sua Serenitas in trimestri consilio, aut intra anni spacium, certam debitamq; de ijs scilicet executionibus, & supremis Capitaneis, cum Consiliarijs Hungaricis rationem initura sit.

ART. VI.

POSTVLANT verò hoc loco Status & Ordines, vt non sine magno, Regni periculo vacantes Capitaneatus omnes, ex Consilio Dominorum Consiliariorũ benè meritis & idoneis personis quàmprimum conferantur, Qui quidem Capitanei omnes sua officia exerceant iuxta articulum 41. anni sexagesimi septimi.

ITEM

ART. VII.

ITEM postulant & supplicant, vt sua Maiestas, & ea absente sua Serenitas ita ubique in confinijs prouidere dignetur, vt milites ab oppressione colonorum, & diuagatione per villas abstineant, &, ad certa, suasq; Stationes in Confinijs non in vilis redigantur, & stipendia eis persoluantur, quo commodius communi defensioni inuigilare possint.

ART. VIII.

ITEM de trimestri consilio statutum est, vt singulo trimestri grauiorum negotiorum, atq; difficiliorum materiarum causa, terminus constituatur, ad quem frequentes Regni Consiliarij conueniant, & cum sua Cæsarea Maiestate, vel eadem absente, sua etiam Serenitate, accepta quoq; per literas opinione si necesse videbitur, & tempus patietur, à remotioribus Dominis Consiliarijs, res hungaricas tàm priuatas quàm publicas, pro sua fide, integritate, & prudentia, debito modo consulcent atq; tractent.

ART. IX.

ITEM vt certo numero nonnulli ex Dominis Consiliarijs, pro arbitrio suæ Maiestatis, vel absente eadem suæ Serenitatis lateri continenter, & assidue per vices assistant, quorum opera & consilio res Regni vniuersi, præcipue quæ ad trimestre Consilium, differri non possunt, tàmq; Camerales quàm Bellicæ appellari solent, tractari & consultari queant, quò sua Maiestas vel sua Serenitas, tàm in trimestribus, quàm in his continuis Consilijs, cum ijsdem de illis pro rei æquitate, rerumq; exigentia, concludere valeat.

ART. X.

STATVTVM etiam est vt Commissarij idonei constituantur, qui ante trimestre Consilium omnia perlustrent, tàm confiniorum quàm prouentuum Regni negotia vt quâ ratione Regij prouentus inposterum melius administrari, atq; erogari possint, quæue authoritas Cameræ Hungaricæ esse debeat, inquisitione omnium rerum, tàm confiniorum quàm prouentuum peracta, atque informatione à Commissarijs accepta, & vti par est, atque omninò necesse in maturam deliberationem, eo trimestris consilij tẽpore, deducta sua Cæsarea Maiestas aut ea absente sua Serenitas perpensa Consilij Hungarici sententia constituat. Commissarij autem isti, quadrifariam institui debent, vna pars eorum à Maritimis finibus vsq; Drauum, altera pars ab eodem Drauo ad vsq; Danubium, tertia à Danubio vsq; ad Comitatum Lipthouiensem & montana inclusiuè. Quarta ab hoc Comitatu Lipthouiensi vsq; ad fines Transyluaniæ, ad quam quidem commissionem, nominati sunt pro Sclauonia ij quos illi Regnicolæ cum Domino Bano electuri sunt in suo conuentu. Pro ea verò ditione quæ est à Drauo usq; ad Danubium Magnifici Domini, Franciscus Nadasdij, & Nicolaus Palffij, item Emericus Megieri, & Christophorus Petheô, pro illa ditione, quæ est à Danubio usq; ad Comitatum Lypthouiensẽ & Montanas Ciuitates, Magnifici Domini Balthasar Batthianij, & Stephanus Illeshazij, ac Franciscus Ezterhaz, & Andreas Iasth, pro reliqua ditione, vsq; ad Polonicos & Transyluanicos fines, Magnifici Domini Simon Forgach, & Franciscus Revvaij, item Nicolaus Zokolij, & Sigismundus Rakoczij. Intersint autem semper, singulorum Comitatuum Vicecomites: Ac si casu aliquo unus vel alter nominatorum Dominorum Commissariorum, ob ineuitabiles causas præsens esse non posset, habent cæteri potestatem prosequendi ipsam Commissionem, ita tamen vt de absentibus, præsentes suam Serenitatem certificent, vt si necesse sit eorum loco alij subrogari possint. Sua verò Cæsarea Maiestas, vel sua Serenitas si quos ex Dominis germanis, vel alijs, adiungere voluerit, pro suo arbitrio faciet & nominabit, ita tamen, vt ad vigesimum diem mensis februarij proximè futuri opus aggrediantur, vt possint relationem suam, ad primum trimestre consilium, quod fit ad vigesimum diem mensis Aprilis adferre.

ART. XI.

CONCLVDENTES autem hanc libertatis suæ plenariam restitutionem, necessarium esse ducunt, ideoq; supplicant, vt sua Maiestas Cæsarea ipsas libertates iuxta præfatas conclusiones Regni generales, annorum præcedentium, & præsentes quoq; re ipsa & effectiuè reddere dignetur, alioquin se ad articulos anni 83. referunt.

ART. XII.

QVANTVM ad Dicam, & si magna & extrema sit huius Regni hoc tempore paupertas, cùm propter annos steriles præteritos, tùm etiam hostiles continuas vexationes, ac militum quoq; suæ Maiestatis violentias, nec non varias extraordinarias contributiones, quas pro eorum permansione, quotidiè facere coguntur, maximè etiam propter præteritorum annorum contagiones, quæ irrepserunt, attamen ne suæ Maiestatis Cæsareæ clementi postulationi hac in re status deesse videantur, offerunt suæ Maiestati ad unum annum de singulis portis dicari solitis, duos florenos duobus terminis videlicet, ad festum S. Georgij, & ad festum B. Lucæ proximè adfuturum, modo & ordine in præteritis regni constitutionibus specificato, exigentiis Cameræ lucro intellecto, & noua portarum connumeratione facta.

ART. XIII.

PRÆTEREA quia Serenissimus Archidux Ernestus, Dominus eorum clementissimus hactenus in promouendis huius Regni negotijs, se semper beneuolum exhibuit, idq; etiam deinceps se facturum benignè offert, Ideo ipsi Status & Ordines Regni, pro declaranda eorum erga suam Serenitatem gratitudine (id quod sua Serenitas benigno ac grato animo, vicissim omni beneuolentia & gratia, recompensandum accipit) ad eundem annum de singulis portis nouiter connumerandis, suæ Serenitati singulos quadraginta denarios hungaricos, ac in super, pro Commissarijs quoq; hungaris, ad inquisitionem Prouentuum & Confiniorum deputatis, singulos decem denarios hungaricos, duobus præfatis terminis exigendos, dandos & contribuendos decernunt, Ita nempè, vt cum ipsis dominis Commissarijs, ad vigesimam diem mensis Februarij, imminentis, ipsam commissionem aggredi sit necesse. Exigi autem præfati decem denarij, ante præfixos terminos non possint, Interim ex Camera suæ Maiestatis Hungarica, eisdem dominis Commissarijs nunc statim quatuor millia florenorum hungaricalium pro expensis mutuo numerentur.

ART. XIIII.

IN cæteris Articulis, à sua Maiestate in propositione designatis, quoniam appendices Dicæ sunt, se ad priores Regni constitutiones, referunt.

ART. XV.

DE erectionibus Tricesimarum filialium, censent in Trimestri Consilio, aut quando suæ Maiestati Visum fuerit, post factam inquisitionem, cum suis Consiliarijs hungaricis, tractandum & vtiliter concludendum esse. Statuitur autem vt loca depositionum antiquâ in vsum reuocentur, quæ neque germani, neque Poloni, neque aliæ ullæ gentes, transgrediantur, sed pœnaliter, obseruentur ab omnibus, quæ quidem obseruatio locorum depositionum incipit festo Diui Georgij proximè Venturo, quo in loco super Austriacis, Articulo 42. anno 67. confirmatur (incolis Insulæ Challokôz, eorum libertate hac in parte integra relicta) ita nimirum, vt nec ex Austria in Hungariam, neque ex Styria in Sclauoniam Vina inuehi liceat, nisi ex Hungaria quoque ac Sclauonia, Vicissim Vina eorum, in Austriam & Styriam, introducere liceat, sub pœna amissionis Vinorum, Statuitur prætereà, vt à modo in posterum in Poloniam per hungaros nulla Vina conuehantur, similiter sub amissione ipsorum Vinorum, sed ipsimet Poloni veniant in Hungariam, vsque ad loca depositionum, pro coëmendis & auehendis ijsdem Vinis,

Vinis, Quibus obseruatis, proculdubio ipsi prouentus Regni maiores fient, ac Turcici etiam exploratores ac Rasciani, Poloni item & alij id genus, homines, qui sub specie negotiationis non modò ipsam Hungariam & Austriam, sed ipsum quoque Imperium ac Bohemiam, peragrari sunt soliti, huc illucque diuagari non tam facile poterunt. Posset verò hoc loco sua Maiestas, ipsam Tricesimarum exactionem ampliare & augere, quæ res fisco non parum lucri & commodi allatura esset.

ART. XVI.

QVANTVM spectat ad mensurarum rationem, statutum est, vt à modo imposterum, per totum Hungariæ Regnum, mensuræ Budenses antiquæ, in tertio Decreto Sigismundi Imperatorum ann. 1504 Art. 6. specificatæ seruentur, sub pœna quæ in eodem Decreto est sancita, rectificatio autem barum mensurarum fiat, per cuiuslibet Comitatus ViceComitem, tàm in Ciuitatibus liberis, quàm etiam villis ac alijs locis, bonisq; quorumlibet. Mensuræ verò hæ omnis generis obseruentur, à cuiuslibet loci Iudice, aut Domino terrestri. fol. 95.

ART. XVII.

DE Arestationibus, conseruentur constitutiones Sigismundi Imperatoris & Ladislai Regis, neq; in posterum nonæ aut decimæ per Capitaneos vel alios quoscunque à rebus & pecunia arestata, exigantur, sicut hactenus Iaurini & alijs locis est factum.

ART. XVIII.

DE gratuitis laboribus deliberet & disponat sua Maiestas, vel sua Serenitas tunc quando Domini Commissarij inquisitionem retulerint in Consilio Hungarico. De continui militis intertentione, referunt se ad constitutiones priorum annorum, & statuunt denuo, vt indifferenter, ex omnium tam videlicet Baronum & Magnatum, quàm etiam Nobilium, ac suæ Maiestatis etiam bonis, continui milites, seruentur, ac expressa cum conditione, ne quisquam Regnicolarum Milites, pro libitu ac voluntate sua, ad priuata munia, vel necessitates, proprias, auocet; sed eosdem semper continuè, in suis stationibus, sub pœna in constitutionibus, expressa relinquat, & salaria eorum ad stationes statutis temporibus mittat iuxta Articulos anni 78.

ART. XIX.

DE insurrectione tàm generali, quàm particulari, in præteritis constitutionibus similiter clari extant articuli, quos seruandos esse statuunt. Et nobiles quoq; insignia & nobilitatem in Cancellaria consecuti, insurgere teneantur in modum & instar nobilium vnius sessionis.

ART. XX.

DE haydonibus & equitibus liberis, priorum annorum constitutiones seruentur, & vtantur ea in re Capitanei suis officijs & debita executione.

ART. XXI.

SIMILITER de commeatu quoq; conuehendo constitutiones priorum annorum obseruentur, signanter Articulus: 13. anni. 63. super limitatione victualium, editus.

ART. XXII.

IN negotio pascuationis graues & intolerabiles iniuriæ ac oppressiones fiunt passim Regnicolis, quas quidem oppressiones recensere longum esset. Certum verò est plerosque militum, vt plurimum prædæ causa vt se faginent è sua statione egredi, Et ideò, quamuis satius esset, hanc pascuationem penitus abolere, quàm quod milites cum ingenti oppressione plebis permittere, vt & stipendia percipiant & gratis quoque ipso pascuationis tempore, atque adeò per maiorem partem anni per plebem intertenea ntur. Attamen in hoc pascuatio-

nis articulo, ad constitutiones Regni publicas anno 78. editas fereferunt. Eductio autem ipsorum equorum fiat semper cum præscitu Vicecomitis, tàm ad bona dominorum, quàm etiam nobilium, iuxta articulos constitutionum priorum, ac vltra spacium triginta dierum milites in pascuis non maneant, distribuanturque ipsa pascua, per dictos Vicecomites. Distributionem verò hanc siue limitationem admittant omnes indifferenter, tàm videlicet Domini quam etiam Nobiles ipsique Capitanei ac alij milites, in qua pascuatione ijdem milites ipsis tantummodo pascuis vtantur, colonos verò eorumq; res & bona, non impediant, neque victum vllum exigant sine precio. Quo tempore triginta dierum exactum, Comites & ViceComites, eos si per se redire noluerint, in suas stationes repellere teneantur sub amissione officiorum, vicissim Capitanei quoque, eosdem milites reducant, & damna quoq; si quæ ipsi milites dederint, Capitaneus cuiuslibet loci debito modo refundi curet, sub pœna vltra refusionem damnorum, mille florenorum, per Comitem vel ViceComitem de bonis Capitanei, comperta rei veritate, statim & sine vllo iuris processu exigendorum: aut si bona non habeat, è solutione & stipendio, quod habet per suam Maiestatem persoluendorum. In casibus autem homicidij, furti, & aliorum similium, enormium scelerum, si qui in flagranti crimine deprehendentur, seruentur articuli super huiusmodi casibus statuti.

ART XXIII.

QVANTVM ad deditionem colonorum spectat, eam vtiq; debita opera nemo faceret, sed potentia hostium adactus se subijcere cogitur, vt itaque similes, deditiones nõ fiant, alia ratio nulla superesse videtur, quàm vt confinia benè firmentur, & sufficientes milites interteneantur, Seruentur verò hoc loco constitutiones anno 1574 art: 15.

ART XXIIII.

DE transfugis Turcis, iustum est quod sua Maiestas proponit, & statuitur ea pœna contra eos, qui tales transfugas impediunt, quæ est in art. 73. in tertio Decreto Ladislai Regis Ann. 1498. & Trip: Decreti, parte prima Tit. 14.

ART. XXV.

VT causantes non armis, sed iure inter se agant iustum est. Quomodo verò castellum Baycha in alium locum transferendum, quàue ratione muniendum sit, deliberari poterit per suam Maiestatem vel suam Serenitatem, post factam confiniorum inquisitionem.

ART. XXVI.

DE pontium & Viarum reparationibus, referunt se ad articulos, constitutionum anno 66. & aliorum annorum, & obseruentur hac in re modi in illis articulis declarati.

ART. XXVII.

SICCA autem & incusta Telonia, per Comites & ViceComites distrahantur & aboleantur, vbique, sub amissione officij, qua in re obseruentur art: constitutionum publicarum ann. 66, Vbi quidem liberarum quoq; Ciuitatum, aliorumq; Priuilegiatorum libertates seruentur, iuxta Decret: 3. Ladislai Regis art. 35. & Decret. 4. Art: 41. Conqueruntur enim Ciuitates liberæ, ac nonnulli etiam alij Priuilegiati ab eis telonia exigi.

ART. XXVIII.

DE Calendario, etsi Status & Ordines Regni, mallent vt Vetus Calendarium, à tot iam annis obseruatum, & cui setàm pauperes quàm diuites longo vsu accommodarant, in pristino suo Statu permaneret, volentes tamen se piè & clementi suæ Maiestatis admonitioni accomodare, non refragantur quidem, vt deinceps novi & reformati Calendarij vsus sit, hoc tamen per expressum declaratum

claratum esse volunt se illud, nullius alterius, quàm sola & vnica Regia suæ Maiestatis authoritate, in productum admittere,& maneant expeditiones & iudicia, hactenus siue sub nouo, siue sub veteri Calendario facta, in suo vigore.

Art. XXIX.

Qvod si nouas bonorum & iurium possessionariorum quorumuis, nec non syluarum, piscinarum, aquarum, pratorumque & metarum occupationes facere, de cætero attentauerint, extunc ad instantiam, partis læsæ, siue Actoris, cuius interest, facta more solito, intra anni spacium; certificatione seu citatione, in præsentiam sedis illius Comitatus, in quo talia bona sita esse dignoscuntur, Sedes Iudiciaria illius Comitatus causam ipsam extra seriem aliarum causarum, longo litis processu terminari consuetarum, leuare, ipsasque partes, vel earum legitimos Procuratores, audire debeant. Quopacto, si necesse fuerit, ViceComes cum sibi adiunctis, Iudice Nobilium & Iurato Assessore, ad facies bonorum controuersorum, proficiscantur, ac probabilia quæuis documenta colligat, remque deinde totam, in ipsa sede primitus celebrandam, referat, qua relatione facta, ipsa sedes iudicium faciet: Quod iudicium vt hactenus moris fuit, penes literas exmisionales statim exequatur, contradictione, inhibitione, & repulsione partium non obstantibus. De damnis porrò quæ intereà, donec ipsa bona violentus occupator in suis manibus habuit, vel etiam temporum occupationis secuta sunt, item de pœna violentiæ seruentur constitutiones, anni 63. hoc addito, quod si ad executionem sententiæ, ipse Vicecomes insufficiens fuerit, extunc Comitis, aut si necesse sit, etiam Supremi Capitanei authoritas accedat, ipsaque sententia omnimodè exequatur sub amissione officij, tàm Comitis ViceComitisque, quàm etiam Supremi Capitanei. Quod si verò ViceComes, propter hostium metum, ad facies loci proficisci non posset, extunc testium documentorum collectio, nec non ipsa executio sententiæ fiat de loco finitimo ipsis bonis nouiter occupatis vicino. Item noua occupatio hoc loco intelligitur, quæ nouiter fit, ac ipsa citatio intra anni reuolutionem à die occupationis computatur, fieri debeat, quæ si intra anni spacium, propter aliquas causas modo prædeclarato exequi non posset habeat nihilominus suum vigorem, exequaturque quando poterit iuxta modum supra declaratum. Insuper causæ similium aliquorumque occupationum, quæ hactenus iuxta art: ann: 42. Passim in Sclauonia, & Comitatibus, atque etiam Tabula Regia inchoatæ, ac executæ sunt, in eo maneant statu & processu, ac vigore quo nunc sunt: Quæ verò causæ occupationum veterum inchoatæ nondum sunt: prosequantur omnes nullis exceptis, iuxta easdem constitutiones Ann. 42. & aliorum annorum sequentium. Et nihilominus si quis causantium per huiusmodi sententias in causis occupationum nouarum, se se agrauatum iri senserit, liceat ipsi extrà dominium ipsorum bonorum appellatione, in Curiam Regiam fienda, vel simplici, vel etiam gratiæ Noui Iudicij, remedio vti, ac ius suum stabilire, & in melius reformare.

Art. XXX.

De Iudicis Octaualibus & Locumtenentiæ celebratione, referunt se ad Art. Anni 82. hoc declarato & statuto, vt deinceps pro Comitatibus partium superiorum, Octaualia eorum Iudicia, in Ciuitate Eperjes celebrentur, in quibus Iudicijs pro prælatis nominantur Domini, Benedictus Bciczij, Præpositus Ecclesiæ Agrieñ: vel Mattheus Paczona eiusdem Ecclesiæ Agrieñ: Cantor, loco autem Baronum, Magnifici Domini Nicolaus Dressfij, ac Ioannes Prinij, vel Michaël Byvvdij: In Appellationibus penes Rñdmum Dominum Locumtenentem, suæ Maiestatis & Dominum officij Palatinalis Locumtenentem nominantur Prælati, Reueren-

Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Martinus Pethe Waradien: ac Ioannes Cherodij Tinnien: & Paulus Zegkedij Charnadien: Barones verò, Spectabilis & Magnifici Domini, Stephanus Bathorij Iudex Curiæ, Simon Forgach & Franciſcus Revvaij vel PaulusCzobor, aut Stephanus Illeshazij. In iudicijs Poſonienſibus pro Prælatis nominantur, Domini, Andreas Monoſzlaij, Præpoſitus Poſonien: vel Petrus Radovitius Vicarius Nitrien: Pro Baronibus Magnifici Domini, Michaël Bakijth, vel Ioannes Liſtius. In appellationibus penes Reuerendiſſimum DominumLocumtenen: & Do: officii Palatinalis, Locumtenen, Reuerendiſſimi Domini Ioannes Kvvtaſij, Epiſcopus Quinq; Eccleſien: Stephanus Mattheſij Epiſcopus Waczien, & Ioannes Cherodij Epiſcopus Tinnienſis Item Magnifici Domini, Franciſcus Revvaij, Stephanus Illeshazij & Paulus Czobor, aut Caſpar Draſkovvith.

ART. XXXI.

HABEAT autem authoritatem Dominus Locumtenens loco abſentium alios conſtituere iuxta priores conſtitutiones.

ART. XXXII.

IN Sclauonia quoque ſeruentur termini octauales, fiantque in eis iudicia.

ART. XXXIII.

ITEM quia Commiſſiones, quæ inter Hungariam: & Auſtriam ac Poloniam, & Morauiam ſuperioribus annis inſtitutæ fuerant, cùm propter ſubſecutam mortem eorum qui ad eas nominati fuerant, tùm etiam alias cauſas, ad effectum perduci non potuerunt, ideo pro ea commiſſione, quæ inter vltra Danubianos & Auſtriacos & Styrienſes fuit inſtituta, nominantur pro idoneis Commiſſarijs Reuerendiſsimus Do. Stephanus Mattheſij Epiſcopus Vacien: Magnifici Domini, Franciſcus Revvaij & Stephanus Illeshazij, nec non Magiſter Martinus de Zombathel, Domini Locumtenen, Prothonotarius, quibus ViceComites quoq; cuiuſlibet Comitatus, ac nomine Fiſci Director Cauſarum Regiarum, adiungatur. Prò ea quæ eſt inter Morauos, ac fideles regnicolas Hungaros, nominantur Reuerendiſsimus Dominus Ioannes Kvvtaſij, Epiſcopus Quinq; Eccleſien: Magnifici Domini Nicolaus Dresffij & Ioannes Ioò, Perſonalis Præſentia, ac Magr. Gregorius Balogh Protonotarius Domini Iudicis Curiæ quibus ſimiliter ViceComes Comitatus, & fiſci nomine Director adſit. Ad eam quæ eſt inter Polonos & Comitatus Scepuſienſis Arvven & Saàros, & alios circa confinia Polonica, conſtitutos Regnicolas, nominantur Reuerendiſsimus: Dominus Martinus Petheò Epiſcopus Waradienſis item magnificus Dominus Stephanus Homonaij, & Dominus Sebaſtianus Theökölij, nec non Domini Nicolaus Zokolij & Magiſter Valentinus Vizkeletij Perſonalis Præſentiæ Prothonotarius, quibus quoq; adiungantur ViceComes cuiuslibet Comitatus, & fiſci nomine Director cauſarum ſuæ Maieſtatis. Qui cum Commiſſarijs aliarum nationum, penes inſtructionem conformem, ad loca litigioſa proficiſcantur, cognitiſq; partium differentijs & earundē propoſitionibus, & allegationibus auditis, admiſsis etiam earundem partium quibusuis probabilibus documentis, ea ſtatuant exequātur & definiant, de dictis litigioſis metis, quæ de iure Regni viſa fuerint. Quod ſi autem vota forte vtriuſq; nationis Commiſſariorū, æqualia forent, extunc ſeruentur conſtitutiones anni: 52. Art. 34. Quod ſi præterea aliqui, ex iam nominatis Commiſſarijs, ob graues cauſas proficiſci non poſſent, habeant poteſtatem cæteri Commiſſarij loco abſentium alios idoneos eligendi & ſecum accipiendi. De tempore & loco quo Commiſſarij conuenire debeant, concluditur in trimeſtri Conſilio proximo.

ART. XXXIV.

SCLAVONIA quoq; ad effectum perducat ſuam Commiſsionem, de qua ſuperiori anno octuageſimo ſecundo concluſum fuit.

ART. XXXV.

ITEM

Sclavonia quoq; ad effectum perducat suam Commissionem, de qua superiori anno octuagesimo secundo conclusum fuit.

Art. XXXV.

Item Nobilium è suis bonis pulsorum digna habenda est ratio, videlicet ad decimarum solutionem compellantur. Qua in re seruentur articuli superiorum Conuentuum.

Art. XXXVI.

Item Statutum est vt in Regno Sclauoniæ, quod ad intertentionem Haramiarum attinet, omnes illi Status & Ordines æqualia onera ferant.

Art. XXXVII.

Item supplicant Status & Ordines Regni suæ Maiestati, dignetur modum inuenire, vt bona ad Austriam oppignorata redimantur, ac vt pecunia Hungarica in Regnis suæ Maiestatis indifferenter vbiq; valeat & exponi possit, iuxta constitutiones superiorum annorum.

Art. XXXVIII.

Supplicant præterea, tàm Comitatus Mosoniensium quàm etiam Soproniensium ac Beregh, vt eis sua Maiestas de Comitibus prouidere dignetur, Conqueritur, hoc loco Comitatus Sopronienſium: quod Capitaneus ex his Marthon Dominus Kolonitsch, nonnullos ex Comitatu, signanter autem Dominum Nadasdij, eiusq; colonos, item Ciues Sopronienſium, ac nobiles Comitatus Mosonienſium varijs molestijs & violentijs afficit, & ideò supplicatur suæ Maiestati nomine, publico, dignetur modum inuenire vt dictus Capitaneus, ab exercendis violentijs cesset, ne aloquin maiora inconuenientia sequantur.

Art. XXXIX.

Supplicatur quoq; suæ Maiestati nomine Statuum, vt sua Maiestas beneficia alienigenis collata, imposterum indigenis conferre, oppignorata autē redimere, & ordini Ecclesiastico reddere dignetur, iuxta publicas constitutiones præcedentium annorum.

Art. XL.

Item statuendum esse censent Status, vt in liquidis debiti, deinceps vbiq; Iudices Nobilium vsq; ad summam Viginti florenorum: possint executionem facere, partium autem aliqua non contenta, iudicio Iudicialium possit appellatio fieri ad Comitatus Sedem, sed non vltra.

Art. XLI.

Item in negotio Arendationis Decimarum, obseruentur constitutiones priorum Annorum.

Art. XLII.

Cæterum conqueritur Comitatus Zatthmarienſium cum nonnullis alijs Comitatibus, quòd cum iuxta earum consuetudinem, de bonis suæ Maiestatis quempiam fugitiuum colonum repetunt, prouisores tamen suæ Maiestatis nullam nec sententiam neq; executionem Iudicum curant, statutum itaq; est vt hac in re publicæ constitutiones Regni obseruentur.

Art. XLIII.

Quia art. ann. 63. de deliberatis homicidijs editus, à nonnullis causantibus perperam intelligitur, & sæpè vexationis tantùm gratia nonnulli euocantur, ideò ne posthac similes vexationes fiant, statutum est, vt quicunque causantium in his deliberati homicidij causis succubuerit, contrà aduersam partem, in pœna indebitæ actionis ipso facto conuincatur. Si autem quisquam homicidarum, in eo Comitatu, in quo homicidium patratum est, bona non habeat, ex tunc de tali homicida, iudicium faciet is ViceComes aut Comitatus, iuridictioni subiacet modo & ordine in præfato articulo declarato.

Sup.

ART. XLIIII.

SVPPLICANT quoq; suæ Maiestati humillime Status, vt Præposituram Thuroczicensium, sua Maiestas, indigenæ alicui benemeritæ Personæ, quæ intra anni spacium Conuentum illum, pro bono publico, executionibusque faciendis restauret, conferat, & de hac re sua Maiestas clementer deliberabit.

ART. XLV.

ITEM conqueruntur partium superiorum Ciuitates liberæ, quod sæpe ad quamlibet Capitaneorum voluntatem & Commissionem, insurgere coguntur, vbi postea vel ad fossarum cauationem, vel piscationes aliasque similes Capitaneorum proprias operas adhibentur. Quæ res cum eis iniuriosa sit, supplicant suæ Maiestati, vt ad insurrectionem non compellantur, nisi quando Comitatus & Nobilitas insurgit. Item Statuitur, vt in Causis spiritualibus Bracchia Regalia, deinceps Comes ViceComes, ac supremi Capitanei exequantur, nisi legitimum aliquod impedimentum obstiterit.

ART. XLVI.

ITEM quia Sigillum Capituli Castriferrei, longo vsu & vetustate attritum, esse perhibetur, statuendum esse censetur, vt illud de nouo confieri ant, siue in argento siue in ære, vt ipsi Capitulo visum fuerit, ita tamen vt illud vetus in Conuentu ipsius Comitatus Castriferrei productum, in præsentia omnium disrumpatur. Quia vero Prothocolon Abbatiarum Zalavvar & Kapornak, cum literis ibidem seruatis in Capitulum Castriferrei, conseruandi gratia deportatum fuit teneatur idem Capitulum Castriferrei legitimis Præceptorijs literis, ad partium instantiam, requisitum, ea quæ illic habentur reinuenire & sub Sigillo more solito extradatur. Interim donec DEO volente ipsi Conuentus restaurari poterunt vel conferat sua Maiestas vtramq; Abbatiam benemeritæ spirituali personæ, quæ eius conseruatorij curam gerere possit.

ART. XLVII.

SVPPLICAT etiam Comitatus Mosoniensium, committat sua Maiestas Capitaneo Ovvariensium vt de bonis quoque illius arcis in medium cæterorum contributionem facere permittat, ad vsus publicos, hactenus, enim permittere noluit.

ART. XLVIII.

POSTREMO quia Egregius Georgius Debreczenij, alias Vice Magister Tauernicorum Regalium, & iuratus assessor sedis Iudiciariæ suæ Maiestatis, durantibus hisce generalibus Regni comitijs, nescitur vnde motus, quaue temeritatis audacia & insolentia ductus, non habita ratione publici salui conductus, neque contentus eo quod paucis ante diebus, in publica congregatione Regnicolarum, vniuersos vtriusque Ordinis Consiliarios suæ Maiestatis, publice incuriosis & illicitis verbis affecerat, eosdem vice iterata in supplici etiam quodam suo libello, dicto Serenissimo Archiduci exhibito, conspiratores ac tumultuarios, publicæque fidei & Salui conductus, turbatores & violatores, appellare & nominare, & per hoc honorem, æstimationem, ac authoritatem ipsorum, maxime lædere, consultationemque & tractationem publici boni interrumpere veritus non fuit, Ideo Status & Ordines, præhabita matura eorum intra se deliberatione, vno eodemque consensu, præscriptos dominos Consiliarios à præscripta diffamatione & dehonestatione, per dictum Georgium Debreczenij tum oretenus cum scripto, modo præmisso, ausu temerario facta, tanquam falsa & iniqua, immunes, liberos, & modis omnibus absolutos esse comperientes decernunt, ac præsenti articulo constituunt, eundem Georgium Debrezenij, propter prætactam Dominorum Consiliariorũ, sub præsenti Diæta inique factam diffamationẽ, nec non salui conductus violationem

lationem, & pacis fideique publicæ turbationem, in notam perpetuæ infidelitatis, amiſsionem ſcilicet capitis, ac proprietatis & perpetuitatis vniuerſorum bonorum & iurium ſuorum poſſeſsionariorum, rerumque mobilium quarumlibet, fiſco Regio applicandorum vbiuis & in quibuſcunq; Ciuitatibus intra ambitum Regni huius Hungariæ & partium ei ſubiectarum, exiſtentium, & habitorum, incurriſſe.

CONCLVSIO.

NOs itaq; præmiſſa ſupplicatione, dictorum fidelium noſtrorum ſubditorum Dominorum Prælatorum, Baronum Magnatum & Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum prædicti Regni noſtri Hungariæ, & partium ei ſubiectarum, clementer admiſſa, prædictos vniuerſos & ſingulos Articulos modo præmiſſo nobis præſentatos, præſentibuſque literis noſtris, de verbo ad verbum inſeri & inſcribi facientes, eoſdemq; ac omnia & ſingula in eis contenta (demptis duobus articulis, vno de vinis Auſtriacis, de quibus in proximo inferioris Auſtriæ conuentu tractabitur, altero autem de Præpoſitura Thvvroczienſi, quæ per nos pro fundando collegio inſtituendoque in hungaria gymnaſio & ſeminario, ſpiritualium hungaricarum perſonarum Ieſuuitis eſt collata) ratos gratos & accepta habentes, eiſdem noſtrum Regium conſenſum, beneuolum pariter & aſſenſum præbuimus, illoſque & quæuis in eis contenta, authoritate noſtra Regia acceptauimus, approbauimus & confirmauimus, offerentes nos clementer, quod præmiſſos omnes articulos, in omnibus ſuis punctis, clauſulis & articulis, tàm nos ipſi obſeruabimus, quàm per alios omnes fideles ſubditos noſtros, cuiuſcunque Status & conditionis exiſtant obſeruari faciemus: Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum noſtrarum vigore & teſtimonio literarum mediante. Datum in arce noſtra Regia Pragenſi, vigeſima octaua die Menſis Ianuarij Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo octauo, Regnorum noſtrorm Romani decimo tertio, Hungariæ & aliorum decimo ſexto, Bohemiæ verò anno ſimiliter decimo tertio.

RVDOLPHI SECVNDI ROMANORVM IMPERATORIS ET REGIS DECRETVM ANNI M. D. XCIII.

Poſonij editum.

NOS RVDOLPHVS ſecundus Dei gratia, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit vniuerſis. Quod fideles noſtri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni noſtri Vngariæ & partium ei ſubiectarum, in generali eorum Conuentu, profeſto Conuerſionis beati Pauli Apoſtoli, hoc eſt vigeſimo quinto die proximè præteriti menſis Ianuarij, Anno domini præſenti, Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo tertio, celebrato, in Ciuitate noſtra Poſonienſi, ex mandato noſtro congregati, exhibuerunt & præſentauerunt nobis, medio Sereniſsimi Principis Matthiæ, Archiducis Auſtriæ, &c. fratris noſtri chariſſimi, qui ſcilicet no-

stra in persona dicto generali Conuentui præsidit, infra scriptos Articulos, in eodem Conuentu, communibus ipsorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos. Supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos articulos, omniaq; & singula in eis contenta ratos, gratos & accepta habentes, nostrumq; Regium Consensum illis præbentes, autoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atq; tam nosipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE STATVVM ET

Ordinum Regni Hungariæ, partiumque ei subiectarum in generali eorum Conuentu, pro festo Conuersionis beati Pauli Apostoli, hoc est vigesimo quinto die proximè præteriti mensis Ianuarij Anno Domini præsenti Millesimo, Quingengentesimo, Nonagesimo tertio, Posonij celebrato conclusi.

ARTICVLVS I.

QVod Status & Ordines Regni Hungariæ, diuersis scriptis suis, aliquoties exhibitis diuersa ac grauia afflictionum suarum genera, quibus tollendis sacræ Cæsareæ Maiestatis, domini sui clementissimi, præsentiam tantopere desiderabant, ob oculos ponere coacti fuerint, non alijs de causis factum est, quàm quas sua Serenitas, ex ijsdem scriptis abunde percepit. Quæ si Serenitati suæ minus grata, aut intempestiua forte visa sunt, Serenitas sua, pro æquitate & clementia sua, in meliorem omnia partem interpretari, ac calamitosissimæ ipsorum conditioni tribuere velit: Quibus sanè longè esset charius & optabilius, ab eiusmodi quærelis & lamentis potius temperare, quàm suarum Maiestatum aures pulsare & obtundere, nisi horrore & metu præsentium, impendentiumque periculorum anxij & solliciti, ad id vel maximè impellerentur. Illud tamen ipsis magno imprimis solatio fuit, quod Serenitas sua, Maiestatem Cæsaream, dominum ipsorum clementissimum, tollendis grauaminibus oportuna, ac certa remedia, multo breuiori tempore, quàm ipsi Ordines intra anni spacium postulabant, vltro adhibituram benignè polliceatur. Vt vero sua Serenitas (quam Status pro graui & præcipuo sponsore libenter habent & accipiunt) hanc tam piam salutaremque oblationem promouere, & omnibus viribus in id incumbere velit. Quo illa ad optatum effectum perduci possit, humilimè & flagrantissimè postulant. Sicut æquum omnino, iustumque esse censent, vt aliquando tandem, post multas suæ Maiestatis clementes oblationes, tot ipsorum preces & lachrimæ ac lamenta exaudiantur neque deerunt modi Maiestati suæ Cæsareæ quibus regnum hoc afflictum ac lacerum, si non pristino decori restituere, tamen quantacunque in parte tueri & reformare queat, dummodo aliquando ipsis quoque fidelibus & sinceris subditis suis pias aures minimè claudere velit. Nam tametsi diffiteri nec volunt, nec possunt, Maiestatem suam Cæsaream, diuosque ipsius progenitores, de suo ac cæteris Regnis & Prouincijs, tam immensos sumptus, quorum nec ratio facile iniri queat, imo thesauros, in huius regni sui Hungariæ salutem & permansionem hactenus impendisse & in dies erogare, & ipsemet quoque Status & Ordines, de quorum capitibus & fortunis & olim agebatur, & nunc agitur, præter rerum ac fortunarum suarum grauissima dispendia ac maximam

vim

vim sumptuum, proprio quoque sanguini & corporibus nunquam pepercerunt, neq; hodie parcunt. Ita ipsos quoq; Status & Ordines Regni, continuis tot annorum bellis & cladibus ab hoste, qui totius orbis Imperium quærit, debilitatos & fractos, seque extremo excidio obnoxios conspicientes; pro sua salute & permansione sollicitos admodum & anxios esse oportuit. Quod sicuti eis vitio verti nequaquam potest, opem & auxilium à domino & Rege suo implorantibus, ita quæ deinceps consilia amplecti, quidue facere debeant, ea secundum Deum opt: max: ac suam Maiestatem Cæsaream tempori & occasioni accomodanda relinquunt. Cuius rei gratia legationem etiam ad suam Cæsaream Maiestatem mittendam putant, vt ex suæ Cæsareæ Maiestatis præscitu & consensu, ad alios etiam Christianæ reipublicæ Principes Oratores mittant. Quod cum antea quoq; diui Ferdinandi Imperatoris tempore factum fuisse meminerunt, sua Serenitas apud suam Cæsaream Maiestatem hoc Statuum propositum benigne promouere dignabitur.

Art. II.

Imprimis autem statutum est, vt sua Maiestas vel sua Serenitas ad diem & locum, qui suæ Maiestati vel suæ Serenitati clementer videbitur, eos qui proximè generali Inquisitioni interfuerunt, tam ex dominorum Baronum, quam Nobilium ordine euocet, qui cum cæteris viciniorum Regnorum & Prouinciarum delegatis conueniant, ac consilia de Confinijs certiori stipendio ac munitioribus operibus firmandis conferant & communicent.

Art. III.

Item pro meliori & maiori commodo defensionis regni, statuunt, vti pro hoc duntaxat anno, facta noua portarum connumeratione, iuxta vsitatam consuetudinem, de singulis portis, non per Cameram, sed per ipsorum Statuum homines modo infra declarato, exigantur incluso Lucro Cameræ, singuli tres floreni in duobus terminis, semel pro festo Sacri Pentecostes, pro media parte, ac secundo pro altera media parte, pro festo sancti Martini: Turcis tamen subditi iuxta priores Constitutiones, sic & Sclaui medium tantum soluant.

Art. IIII.

Similiter Valachos, Rascianos, Ruthenos, Molitores in fluuijs propria colonicalia molendina habentes, nec non Iudæos & Anabaptistas ad contribuendum cogendos esse statuunt, ita vt Valachi, Rasciani, Rutheni, & molitores, instar colonorum Iudæi verò & Anabaptistæ, per capita censeantur, & Anabaptistæ duodecim denarios de singulis capitibus, Iudæi verò viginti denarios soluant.

Art. V.

Quibus sua Maiestas taxam liberarum Ciuitatum more solito perceptam, adiungere dignetur, nam & ea ad huiusmodi regni subsidia & defensionem pertinet, & ipsæ quoq; Ciuitates membra regni sunt, eademq; qua cæteri defensione indigent, ac nunquam, nisi quando alij Regnicolæ contribuerunt, taxam eis impositam fuisse constat, neq; unquam ab istiusmodi Contributionum numero auulsæ fuerunt.

Art. VI.

Præterea ex suo ærario etiam, certam aliquam summam, vti se benignè obtulit, adiungat vt hoc modo tanto maior cumulus, maiusq; auxilium ad regni defensionem, cuius gratia præsens regnicolarum Conuentus præcipuè factus est: accedat.

Art. VII.

Ad præmissorum verò commodiorem exactionem, hunc qui sequitur modum

(B) 2 constituunt,

constituunt, vt quilibet Comitatus exactorem eligat, eiq; salarium prout commodum videbitur, decernat, cui supremus Comes, vel non existente supremo Comite ipsemet Comitatus, possessionatum & probatæ fidei virum adiungat, qui nomine Salarij tantundem accipiat, quantum antea iurato Nobili solui consuetum fuit. Qui ambo, stricto iuramento obstringantur, & pro more & consuetudine veteri dicent ac iuramento iudicum contenti sint; Quaquidem dicatione absoluta, rectificatio fiat in Comitatibus, & sic tandem extradentur Regesta sub sigillis Comitatuum.

ART. VIII.

Ad Curiam porrò, nec non perceptionem & erogationem huiusmodi Contributionis, nominant & eligunt Status, cum benigna voluntate suæ Maiestatis in partibus superioribus Regni Magnificum dominum Sigismundum Rakoczij, in his autem Comitatibus Cis & vltra Danubianis vsq; ad Sclauoniam, Magnificum dominum Stephanum Illeshazij, in Sclauonia verò, Magnificum dominum Nicolaum Istwanffij, Quibus exactores ex quolibet Comitatu Regesta connumerationis portarum authentica, sub sigillis Comitatuum transmittant, & pecuniam quoque præmissi subsidij fideliter ad constitutos & præfixos terminos administrent, & eisdem sufficientem quoq; rationem reddant.

ART. IX.

Pro Sclauonia, ordinantur subsidia eiusdem Regni propria, item ex Contributione Regni Hungariæ domini deputati, nempe dominus Illeshazij, & dominus Rakoczij pro auxilio dabunt ad manus domini deputati eiusdem Regni Sclauoniæ, decem millia florenorum, qui eos ad defensionem eiusdem Regni erogabit & conuertet.

ART. X.

Domini autem deputati Regni Hungariæ, mutuam inter se correspondentiam habeant, & vnus alteri regesta Connumerationis portarum communicet vt in defensione regni vnus alterum iuuare possit.

ART. XI.

Residuam partem memoratæ Contributionis, domini deputati, ex sententia pleni consilij Hungarici, cum præscitu & voluntate suæ Maiestatis vel autem suæ Serenitatis, partim ad Confinia magis necessaria, partim ad vtiliorem & commodiorem particularis & Campestris Insurrectionis expeditionem, prout rerum necessitas, maximè postulauerit, conuertant.

ART. XII.

Ex eadem Contributione, quilibet Deputatorum, singulos Quingentos florenos pro Salario habeat.

ART. XIII.

Ex qua Legatis quoq; per dominos deputatos competentes expensæ dentur.

ART. XIV.

Expleto vero anno, teneantur domini deputati, suæ Maiestati & Regno publicè sufficientem rationem dare, & si iustam rationem dare nequiuerint, extunc sine omni iuridico processu ipsum Regnum pro sua pecunia, bona eius, qui in danda ratione succubuerit, iuxta quantitatem debiti, defacto occupandi habeat potestatem.

ART. XV.

Gratuiti labores exigentur iuxta consuetudinem hactenus obseruari solitam, ita tamen vt vbi illi in parata pecunia, vbi verò in specie præstari, ac ad quæ Confinia decerni & deputari debeant, id in suæ Maiestatis vel Serenitatis ac dominorum Consiliariorum Hungaricorum iudicio ac dispensatione esto.

ART. XVI.

Quia vero in intertentione continui militis, magnæ hactenus negligentiæ visæ sunt, & hi milites à plerisq; vel omnino non sunt intertenti, vel ad libitum ex Confinijs ad proprios dominorum suorum vsus adhibiti, ideo ad requisitionem supremi Capitanei,

Capitanei, teneatur Vicecomes cuiuslibet Comitatus, medio vnius Iudicis Nobilium, eum qui intertentione huiusmodi continui militis negligens comperietur, admonere. Qui si intra quindecim dies paruerit, benè quidem, alioquin supremus Comes, vel eo non existente Vicecomes, aut eo non sufficiente supremus Capitaneus, ex bonis huiusmodi domini vel nobilis, ac etiam suæ Maiestatis & supremi Capitanei, ac Archiepiscopatus Strigoniensis, & Episcopatus Agriensis, ac Capitulorum, continuum militem non seruantium, dupplum exigat, & nihilominus eum ad intertentionem quoque cogat, sub amissione officij. Qui quidem milites continui, sine præscitu sui Capitanei, ex Confinijs non egrediantur: Et si qui eorum ad libitum, sicut hactenus est factum, huc illucque discurrerint, eos supremos Capitaneus cum præscitu & consensu Comitatus, sub amissione officij puniat, stipendio priuet, & loca eorum alijs diligentioribus conferat, quibus nihilominus Vicecomes, vti prioribus, emerita stipendia soluat.

ART. XVII.

De restantijs gratuitorum laborum, Vicecomes & Exactores eorum, rationem dare teneantur in Comitatibus. Qui quidem Comitatus, de ijsdem rationibus rescribant ijs sub sigillo Comitatuum, qui ad perceptionem præmissorum trium florenorum deputati sunt, & simili modo, supremi quoque & alij Capitanei, de perceptis & rogatis rationem dent in Comitatibus.

ART. XVIII.

Cæterum Maiestas sua benignè meminit, quam flagranter, quo studio & affectu, quàm ardentibus votis animisque, in superioribus Comitijs Maiestatem Cæsaream, pro inuisendo hoc afflicto suo regno, ac grauissimis eius malis sanandis, interpellauerint ac eius rei perficiendæ Maiestas sua Cæsarea spem quoque ipsis præbuerit, atq; adeò in sequenti Conuentu Serenissimus Princeps & dominus Archidux Ernestus, &c. dominus noster clementissimus, cum Statibus Inquisitionem in eum finem instituerat, vt vel sua Maiestas Cæsarea cum hûc veniret, aut data per suam Maiestatem Cæsaream serenitati suæ absoluta remediorum adhibendorum potestate, fideles suos voti compotes redderet. Quod cum hactenus non successerit, supplicant Status & Ordines humilimè Maiestati suæ, dignetur absolutis Imperialibus Comitijs desiderata sua præsentia fideles suos recreare, neq; diutius aduentum suum differre, sed exauditis fidelium suorum precibus, ea qua pollet potestate & potentia, sublatis varijs informationum & Cancellariarum generibus, afflictis Reipublicæ rebus clementissimè præsens subueniat.

ART. XIX.

Inprimis verò supplicant suæ Cæsareæ Maiestati, dignetur in partibus regni superioribus Cassouiæ, vel vnum ex suæ Maiestatis fratribus, si suæ Maiestati ita placitum fuerit, cum sufficienti & decenti authoritate vel supremum Capitaneum hungarum constituere, vt tot querelæ cessent, quæ indies ad aures suarum Maiestatum, graui regnicolarum detrimento perferuntur: sicuti nunc quoque non desunt variæ & enormes querelæ ex illis partibus, contra exteros & Comitem Ferdinandum ab Hardegh nunc Iaurini præfectum. Quas nunc sua Serenitas benignè exaudire, ac ijs coercendis & puniendis, oportuna remedia adhibere dignetur, sicuti sua Serenitas nuper se se benignè obtulit.

ART. XX.

Supplicant quoque Status & Ordines, vt domino etiam Bano, numerum militum augere, & stipendia emerita persoluere, eique suam authoritatem, & in earum partium Capitaneos potestatem dare dignetur.

ART. XXI.

CIRCA alia propositionis capita, propterea Status & Ordines occupari necesse non existimarunt, quod cum de ijs fere omnibus iam antea in publicis constitutionibus passim statuta extent, tempori parcendum, & ea ad priores constitutiones reijcienda putarint, sperantes suam Maiestatem id æqui boniq; consulturam.

ART. XXII.

QVIA verò in proximè celebratis anni Millesimi, Quingentesimi, Octuagesimi septimi Comitijs, Egregius Georgius Debreczeni, alias Vicemagister Tauernicorum & Assessor Tabulæ suæ Cæsareæ Maiestatis propterea quod dominos Consiliarios vtriusq; Ordinis suæ Cæsareæ Maiestatis tum oretenus, tum scripto quodam diffamare, ac in honore & existimatione eorum lesisse perhibeatur, propter eiusmodi Salui Conductus ac publicæ pacis ac fidei turbationem, per Status & Ordines Regni, iudicialiter in nota perpetuæ infidelitatis, amissione scilicet capitis, & proprietatis ac perpetuitatis vniuersorum bonorum & iurium suorum possessionariorum, rerumque mobilium quarumlibet, fisco Regio applicandarum, coniunctus & aggrauatus fuit, pro ipso tamen Specialis ac Magnificus dominus Georgius Comes de Zrinio, & Tauernicorum Regalium Magister, & supremus Regni ultra Danubium Capitaneus, apud dictos dominos Consiliarios suæ Maiestatis vtriusq; Ordinis debito modo intercesserit, Serenissimus quoque Princeps, & dominus Ernestus, Archidux Austriæ, &c. nomine suæ Maiestatis partes suas benignè interposuerit, insuper ipsemet Georgius Debreczeni eosdem dominos Consiliarios per literas suas supplicemq; libellum deprecatus fuerit, atq; ipsi domini Consiliarij, officij sui ac pietatis Christianæ memores, offensarum omnium veniam ei indulserint, & concesserint, Propterea ijdem domini Prælati & Barones, Magnatesq; & proceres, cæteriq; Status & Ordines Regni, communibus votis & suffragijs antiquata & obliterata, omni & qualibet præfatæ sententiæ ac Notæ infidelitatis noxa & vinculo, eundem in pristinum suum consortium & cætum receperunt, & adnumerarunt, reddendo eum, hæredesq; & posteros eius capaces, omnium iurium, libertatum, prærogatiuarum, & immunitatum Nobilitarium, quibus ipsi de more & consuetudine Regni vti, & gaudere solent, sperantes eum deinceps, non tantum quietum, sed etiam gratum futurum. Supplicant autem Status & Ordines suæ Maiestati Cæsareæ dignetur ipsa quoque eundem in suam gratiam & clementiam recipere.

ART. XXIII.

MAGNIFICVM Dominum Dauidem Vngnad, liberum Baronem de Sonnek, præfectum Consilij bellici, qui pluribus annis Constantinopoli cum laude Oratorem suæ Maiestatis Cæsareæ egit, ibiq; non Maiestati suæ solum, sed & Regno Hungariæ ac toti reipublicæ Christianæ, industria, & opera sua non parum commodi attulit, postea autem in eo officio Consilij bellici cui præsidet regnicolis publicè & priuatim profuit, indiesq; eandem de se spem præbet, seq; fidelem & vtilem ac bonum patriæ Hungariæ Ciuem offert, Status & Ordines regni à sua Cæsarea Maiestate benignè requisiti, accedente ipsius quoque pro ea re apud eosdem diligenti interpellatione, ipsum hæredesq; suos in suum numerum acceptant, ac superinde more solito iuramentum ab eo receperunt, certo sperantes, quod iuxta suam oblationem semper fidelis & vtilis ac bonus patriæ Hungariæ Ciuis est futurus.

CONCLVSIO.

NOS itaq; præmissa supplicatione, fidelium subditorum nostrorum dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Hungariæ, & partium ei subiectarum clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos Articulos, nobis modo præmisso præsentatos, præsentibusq; literis

teris nostris, de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum pariter & assensum præbuimus, illosq; & quæuis in eis contenta, autoritate nostra Regiâ acceptauimus, approbauimus & confirmauimus, offerentes nos clementer, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tam nos ipsi obseruabimus, quam per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi vigesimo die mensis Martij, anno domini, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo tertio, Regnorum nostrorum, Romani decimo octauo, Hungariæ & aliorum vigesimo primo, Bohemiæ verò anno similiter decimo octauo.

RVDOLPHI SECVNDI IMPERATORIS DECRETA POSONII ANNO M. D. XCV.

Nos Rvdolphvs secundus Dei gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ. Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis, Quod fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; status & ordines Regni nostri Vngariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, per nos eis, ad decimum diem proximè præteriti mensis Ianuarij, Anno præsenti, Nonagesimo quinto, supra Millesimum & Quingentesimum indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis, medio Serenissimi Principis Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. fratris nostri charissimi, qui scilicet nostra in persona dicto generali Conuentui præfuit, infrascriptos Articulos, in eodem Conuentu, communibus ipsorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos, simuletiam Articulos Transactionis fœderis inter nos & Illustrissimum Sigismundum Bathorij de Somlio, Principem Transyluaniæ, &c. non ita pridem initi similiter conclusos, quos præfati Status & Ordines dicti Regni nostri Hungariæ eiq; subiectarum partium, ad benignam requisitionem nostram, generali eorum assensu, obedienter ac beneuolè pro ratis & gratis admiserunt & acceptârunt, & præsentibus eorum Constitutionibus inseri & incorporari fecerunt. Supplicantes nobis humiliter, vt vtrosq; omnes & singulos eos Articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, nostrumq; Regium Consensum illis præbentes, autoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur, Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM, ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE STATVVM ET

Ordinum Regni, Hungariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, ad decimum diem nuper elapsi mensis Ianuarij, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo quinto, indicto, Posonijq; celebrato, conclusi.

ARTICVLVS I.

Sacræ Cæsareæ Regiæqve Maiestatis, Domini nostri clementissimi propositionem, per Serenissimum Archiducem Matthiam, dominum itidem nostrum clementissimum, Statibus & Ordinibus huius Regni

(B) 4 Hungariæ

Hungariæ exhibitam, ijdem Status & Ordines humiliter intellexerunt. Ac inprimis maximas agunt gratias suæ Maiestati, pro sua in hoc afflictum Regnum pia paternaq; cura, ac quòd fideles suos, quos superiorum bellorum fluctus residuos fecerunt, auitæ virtutis commonefacit, animosque eorum deiectos erigere satagit. At quàm fuisset necessarium, vt sua Maiestas Cæsarea atque Regia, iam tandem post tot annorum reuolutiones, ipsamet præsentibus Regni sui periculis & malis succurrisset, suorumq; fidelium consternatos animos, sua quoque paterna præsentia refocillasset & erexisset, non est quod multis declaretur, cum res ipsa per se loquatur, idq; suæ Maiestati optimè constet.

ART. II.

Quod verò concernit exercituationem, quam sua Maiestas à suis fidelibus pro præsenti bellica necessitate exposcit, etsi reliquiæ huius Regni Hungariæ maiorem in modum sint desolatæ, vt nemini mirum videri deberet, etiamsi nihil auxilij pro præsentis belli expeditione ferrent: Volentes tamen Status & Ordines, proceresq; Regni, pro eorum viribus, se, suamq; Patriam iuuare, & paternæ suæ Maiestatis admonitioni satisfacere: Offerunt se, in quolibet Comitatu à Turcis, militumq; effrena licentia residuo, & flore Magnatum & Nobilitatis, alijsq; omnibus, qui bello idonei & apti erunt, certum equitum & peditum numerum, per hunc Millesimum, Quingentesimum, Nonagesimum quintum annum, quamdiu exercitus in campo durare poterit, proprijs expensis intertenturos esse: ita tamen, ut sua Maiestas quoque Cæsarea, suum Banderium, more solito in campo habeat & militem Comitatuum ita semper præcedat, vt hic miles in campum non priùs descendat, quàm Banderio suæ Maiestatis, sine Confiniorum denudatione, cum decenti & sufficienti Hungarorum militum numero, ibi existente, & præterea ita, si licentia militum, tàm indigenarum, quàm externorum, debito modo refrenata fuerit: ne alioquin tàm Nobiles, quam Rustici omnes indifferenter dilabi, & fuga sibi fuisq; rebus consulere cogantur. Illis enim dilapsis, etiam si quàm maximè velint, in bellum tamen expedire non poterunt.

ART. III.

Ac in eum quidem finem, vt maiorem quàm vnquàm antea prædecessorum suæ Maiestatis temporibus factum est, militum numerum, pro præsenti anno, in castra suæ Maiestatis mittere possint: prærogatiua eorum saluo remanente: Statutum est, vt pro hac vice, de singulis portis, denuò propter desolatas & combustas, aliasq; villas, primo quoque tempore, tàm in augendo, quàm in minuendo rectificandis, à principio Aprilis proximè imminentis incipiendo, vsque ad finem Nouembris, ratione Iobagionum floreni Vngarici nouem, ratione autem dominorum terrestrium, Sex floreni numerentur. Quos quidem sex florenos, nemo dominorum Prælatorum, Baronumq; aut Magnatum & Nobilium, aliorumq; possessionatorum, à subditis exigere audeat, sed ex propria Crumena deponat, sub pœna tripli, per Vicecomites, ipsis autem non sufficientibus, per Comites irremissibiliter exigenda, & ea parte, quæ colono est adempta, eidem colono reddita, altera autem ipsis Vicecomitibus relicta.

ART. IIII.

Præsenti verò oneri ferendo, quantum ad portas ratione subditorum, subiecta quoque sint bona suæ Maiestatis omnia, siuè sint Ecclesiastica, siuè Secularia, in omnibus Comitatibus.

ART. V.

Item Statutum est, vt Nobiles unius Sessionis, necnon possessiones, quæ per eorum dominos terrestres inquilinariæ factæ sunt, & quæ hactenus dicatæ non fuerunt, in quolibet Comitatu iuxta conscientiam Vicecomitis, & vnius potioris Nobilis taxentur, & gentes expediant.

ART. VI.

ART. VI.

Similiter armati Nobiles, quoad eorum perſonas (hi enim ſicut & alij Nobiles omnes, in alienis & ciuilibus fundis reſidentes, ratione fundi, ſi non ſit exemptus fundus, inſtar aliorum colonorum & ciuium contribuere, & decimas etiam ſoluere debebunt) necnon fugitiui domos habentes: Item prædiales & libertini, tàm Regiæ Maieſtatis, quàm dominorum Prælatorum, Baronum, & Nobilium; item alij, qui in officijs ſuæ Maieſtatis vbicunque locorum ſunt conſtituti, qui videlicet poſſeſsionati non ſunt, eodem modo iuxta conſcientioſam Vicecomitis, & vnius potioris Nobilis limitationem taxentur, & milites expediant.

ART. VII.

Item ſi qui Nobilium in ſeruitijs Regiæ Maieſtatis, necnon dominorum aut nobilium quorumpiam occupati eſſe voluerint, liceat quidem iſtud eis, teneantur tamen tàm de colonis & domibus ſuis, quàm de proprijs perſonis, ſe præſcriptæ conſtitutioni accommodare, ac ipſi quoque præmiſſo modo gentes ſuas expedire.

ART. VIII.

Item poſſeſsiones nouiter erectæ, & plantatæ, necnon combuſtæ, quarum libertates expirârunt, dicentur tempore rectificationis præmiſſæ, & illæ quoque ſupradicto modo milites mittant.

ART. IX.

Item Molitores, propria molendina habentes, & Magiſtri lígniſectorum & Carbonariorum, in ſerie aliorum colonorum domos non habentes, ſimili modo per Vicecomites & potiores Nobiles limitentur.

ART. X.

Anabaptiſtæ & Iudæi, de qualibet perſona ſingulis menſibus, ſingulos quinquaginta denarios ſoluant. Rutheni quoque & Walachi dicentur.

ART. XI.

His verò conſtitutionibus ſubiecti ſint pro hoc Anno, tàm Comites, quàm Vicecomites Iudiceſq; nobilium & omnis alterius conditionis homines, ac illi quoque de eorum bonis milites mittant.

ART. XII.

Item Plebani & Concionatores non poſſeſsionati, taxabuntur iuxta limitationem conſcientioſam Vicecomitum & potiorum Nobilium.

ART. XIII.

Item Boarij & alij negotiatores extranei & forenſes, in Ciuitatibus commorantes, per Iudices ciuitatum, ad ſubleuandos ciues compellantur, alij autem qui extra ciuitates liberas commorantur, ſiuè ſint nobiles, ſiuè ignobiles, per dictos Vicecomites & potiores Nobiles, iuxta eorum merces taxentur.

ART. XIIII.

Item domini Abbates, Præpoſiti, Altariſtæ, Archidiaconi, Capitula, & alij maiora beneficia habentes, ac Decimas, Nonas, Quartas & Sedecimas percipientes, non poſſeſsionati, necnon monaſteria Monachorum & Monialium, quæ poſſeſsiones non habent mittent milites iuxta eorum conſcientiam & poſsibilitatem.

ART. XV.

Thurcis ſubiectæ Villæ dimidium expedient, more ſolito.

ART. XVI.

Sclauonia in ſui defenſionem pro poſsibilitate feret auxilium, & quia ibidem nonnulli Magnates & Nobiles, ea, quæ in medio ipſorum, ratione eiuſmodi contributionum & negotiorum ſtatuuntur, renuere, ſeq; eiſdem conſtitutionibus opponere conſueuerunt: Ne itaq; huiuſmodi legum & conſtitutionum publicarum contempto-

res

res impuniti remaneant: Statutum eſt, vt quotieſcunque & quandocunque ij, qui pœnam contra tales in ipſo Regno ſtatutam, executuri ſunt, ad exequendam inſufficientes fuerint, extunc eis Comites auxilio ſint, ijs autem etiam inſufficientibus, Banus, ſuo Banali brachio præſtò ſit, ac duplum extorqueat, ex quo id quod Regno debetur, eidem Regno adminiſtrent, reliquum autem pro ſe reſeruet. Hæc autem conſtitutio de præteritis etiam pœnis exigendis intelligatur.

ART. XVII.

Quæ quidem gentes & milites omnes, iuxta præmiſſam limitationem & taxationem ſtatuti, in quolibet Comitatu ſpecialem ſuum Capitaneum, per Comitem & vniuerſitatem dominorum & Nobilium eligendum, & ſpeciale vexillum habeant, neq; à quopiam domino aut nobili inde abducantur, ſed ſub ipſo Comitatus Capitaneo & vexillo, vſque ad finem militare, ac omnia belli onera ferre teneantur.

ART. XVIII.

Si quis præterea Dominorum aut Nobilium, aliorumq; poſſeſſionatorum, in diuerſis Comitatibus bona poſſeſſionaria habuerit, is ratione eorundem bonorum, in medium tot Comitatuum mittat gentem, in quot Comitatibus ea bona ſita ſunt, & ſub tot Comitatuum Capitaneis & Vexillis militet.

ART XIX.

Item gentes præmiſſo modo in caſtra mittendæ, in quolibet Comitatu, circa decimum quintum Aprilis, vel quantò citius fieri poterit, luſtrentur, ſintq; militari modo benè armis inſtructæ, & ita ſemper paratæ, vt vbi primùm à dominis ſupremis Hungaricis Capitaneis, Banderio ſuæ Maieſtatis in campo exiſtente, vocatæ fuerint, ſtatim in Caſtris eſſe poſſint.

ART. XX.

Debebunt autem tempore rectificationis præmiſſarum portarum limitationumq; ſupradictarum (quæ ſecundum Deum eiuſq; iuſtitiam, præter omnem reſpectum fieri debebunt) cuilibet domino & nobili, necnon poſſeſſionatis, Ciuitatiq; & villæ, per dominos Rectificatores Schedæ dari, iuxta quas ſuos milites ad luſtram ſtatuere ſciant atque debeant. Qui quidem milites, præſenti anno tàm diu alantur in caſtris, donec neceſsitas poſtulare videbitur, & donec caſtra ſuæ Maieſtatis in campis durauerint: neceſsitate verò ceſſante, eſſet etiam militum & gentis miſſio & intertentio.

ART. XXI.

Capitaneus præterea huius gentis militem fraudulenter & fauore dimittens, per Generalem Capitaneum capitis pœnam luat, & ſit liberum dominis ſupremis Capitaneis, eandem gentem ſingulis menſibus, vel quoties voluerint, luſtrare, præmonitis & adhibitis ſuæ Maieſtatis iuratis luſtrationum Officialibus, vel etiam iiſdem abſentibus. Quia verò domino ſupremo Capitaneo Ciſdanubianarum partium, Magnifico domino Nicolao Palffij, pro ſua reſidentia confinium Wiuarienſe deſignatum fuit: Ideò reſoluat ſe ſua Maieſtas, vel ſua Serenitas clementer, quid eidem domino ſupremo Capitaneo faciendum ſit, caſu quo id confinium per hoſtem obſeſſum fuerit, debeatnè ſe conferre in ipſum confinium, vel ſeruire in campo, iuxta ſui officij Supremi Capitaneatus exigentiam. Status autem & Ordines Regni, ei iuxta antiquam conſuetudinem, in campo ſeruiendum eſſe, cenſent.

ART. XXII.

Item tempore luſtrationis præmiſſæ gentis, ſint primi domini Prælati, Barones atq; Magnates, & ſic deinde ſtatim nobilitas quoq;, & cæteri poſſeſsionati ad luſtrandum ſuos ſtatuant, & in caſtris teneant, alioquin non ſint Nobiles & cæteri poſſeſsionati obligati, ſuam gentem ad luſtrandum ſtatuere & tenere.

ART. XXIII.

Nemo prӕterea alienos ſeruitores ad luſtrandum producat, vel alienis equis & armis utatur. Contrarium faciens, per ſupremum Capitaneum Regni, comperta vel tunc vel poſtea rei veritate, ablatione omnium rerum puniatur.

ART. XXIIII.

Item ſi qui militum vel ſeruitorum non expleto ſui ſeruitij tempore, ſuo ſtipendio non defraudati, clam, vel aliter qualitercunque, prӕter voluntatem ſui domini diſceſſerint, vel diuerſa ſtipendia acceperint, comprehenſi per ſupremos Capitaneos, comperta rei veritate, ſuſpendio puniantur.

ART. XXV.

Item Statutum eſt, vt hӕ Comitatuum gentes, per dominos Hungaricos ſupremos & Generales Capitaneos, in Confinia non diſtrahantur, ſed prӕſertim pro campeſtribus neceſsitatibus adhibeantur, vbi omnia onera belli ferre teneantur. Capitanei autem Comitatuum, ab eiſdem dominis Hungaricis Supremis & Generalibus Capitaneis dependeant, quos ijdem domini Supremi & Generales Capitanei in honore habeant, & ſimul pro ipſorum officio, fideles ſuӕ Maieſtatis, à violentijs, licentijſque militum ſeriò ſemper tueri & defendere ſint obligati. Quod vt commodè fieri poſſit, in caſtris ordinentur tres Iuſticiӕ Capitanei, vt potè Germanus, Hungarus & Italus, quorum quilibet proprio ſatellitio ſtipatus, ac pro ſe quiſque cauendis & coërcendis ſuӕ gentis exceſsibus ac in conuenientijs, intentus, mutuam inter ſe foueant correſpondentiam, & ſuӕ quiſque nationis homines, ad prӕſcriptum Generalis ſui, vel ſecundùm iuris militaris ordinem coërceat. Quod ſi verò quiſpiam ex ijs Iuſticiarijs iuſtitiam adminiſtrare, & patratores huiuſmodi debito modo punire noluerit aut neglexerit, defacto per Generales ipſorum Capitaneos puniatur, & officio priuetur.

ART. XXVI.

Cӕterum, ſi quis Dominorum aut Nobilium, aliorumq; poſſeſſionatorum, prӕmiſsis Conſtitutionibus contraveniret, aut numerum militum, eis ſupradicto modo impoſitum, contumacia ductus, tempore Luſtrӕ ſtatuere, & vſque ad finem belli intertenere nollet, extunc Vicecomes cum vno Iudice nobilium, vel illis non ſufficientibus, Comes, bona huiuſmodi contumacis occupandi, & tam diu habeat poſsidendi facultatem, donec triplum ex illis exigetur. De qua pœna Comitatui ratio detur, & in publicos vſus illa aſſeruetur.

ART. XXVII.

Statutum quoque eſt, vt iuxta antiquas Regni conſtitutiones, dominorum atq; Nobilium, Plebanorumq; & aliarum Eccleſiaſticarum perſonarum domus & Curiӕ, à condeſcenſu militum immunes ſint. Si miles contrarium fecerit, ſiuè ſit indigena, ſiuè externus, capiatur & puniatur à Capitaneis, omnium rerum ablatione & capitis pœna. Idem intelligatur etiam de ijs, qui Eccleſias violauerint, & effregerint ac ſpoliauerint.

ART. XXVIII.

Item Statutum eſt, vt milites, ſiuè ſint indigenӕ, ſiuè externi, ſuis ſtipendijs ſint contenti, alioquin colonis aut alijs damna in poſſeſsionibus & villis inferentes, ac victualia ſine precio auferentes, cognita cauſa, per Comitatuum gentes, aut etiam per dominum terreſtrem eijciantur, ac puniantur quoque per Capitaneos, iuxta publicas Regni conſtitutiones, Anni Quadrageſimi ſecundi.

ART. XXIX.

Nemo prӕterea equitum vel peditum, ſiuè Regiӕ Maieſtatis, ſiuè aliorum cuiuſcunque nationis ſint, Currus & equos Nobilium & colonorum ad propriam perſonam,

sonam, supellectilemq; vehendam adimere præsumat, sed quisq; pro sua necessitate proprium currum & equos habeat. Contrarium faciens, monitus & non obediens, suspendatur.

Art. XXX.

Item ob euitandam inconuenientiam illam, quæ hactenus tempore insurrectionum in conscribendis militibus fuit, quòd nimirum pleriq; ingenti salario militem ad castra mittendum conducere coacti fuerunt, vt itaq; inposterum nemo maioribus salarijs aggrauetur: Statutum est, vt genti Comitatuum, vni pediti non plures quàm tres Hungarici floreni, per mensem triginta dies facientem, soluantur: Equiti autem quatuor tantum. Miles plus accipiens, mulctetur per supremum Capitaneum, vel Comites & Vicecomites, ablatione omnium rerum. In quolibet autem Comitatu sic disponatur negocium, vt pro media parte equites sint, pro altera verò media parte pedites.

Art. XXXI.

De liberis Haidonibus, peditibus & equitibus, tam Nobilibus quàm ignobilibus, statutum est, vt nemo dominorum aut Nobilium siuè indigenarum, siuè exterorum, tales liberos Haidones teneat: Secus faciens, in notam perpetuæ infidelitatis ipso facto incurrat: Ipsi etiam Haidones pœna capitis puniantur.

Art. XXXII.

Si qui verò vagabundi milites, siuè sint pedites, siuè equites, dominos non habentes, vel prædæ vel lucri gratia, apud quempiam sub nomine solutionis & domini seruientes, vllibi deprehensi fuerint, tales rustica etiam manu capi, & cognita causa, defacto capite plecti possint. Et idem obseruetur etiam in Regno Sclauoniæ.

Art. XXXIII.

Cum deinde hoc tempore ea sit necessitas Regni, ut incolas ex ipso Regno aliò migrare damnosum sit: Ideò statutum est, ne spe maioris stipendij aut ulla alia prætensione, vllus ad seruitia externorum dominorum (excepta Transyluania, quæ iam pars Hungariæ est: cuius tamen Princeps, si aliquem exercitum in Hungaria conscribere velit, id cum præscitu & consensu suæ Maiestatis faciat) sese conferat. Si qui tales inventi fuerint, Nobiles bonis priuentur, Rustici verò capite plectantur, idque exequantur Comites & supremi Capitanei.

Art. XXXIIII.

Statutum præterea est, vt Mulieres nostræ gentis in castra quæstus, aut alterius rei gratia, non eant, sed viris omnem quæstum relinquant. Contrarium faciens, sacco inclusa, in aquam proijciatur & submergatur.

Art. XXXV.

Item tam superioris, quàm huius inferioris Hungariæ incolis libera sit, solutis Tricesima & Thelonio, pro hoc anno, per omnes Regiones eductio vinorum, præsertim in præsenti necessitate rei pecuniariæ.

Art. XXXVI.

Præterea, quia ab eo tempore, quo præsens bellum exarsit, videlicet à principio mensis Augusti, Anni Nonagesimi tertij, diuersæ violentiæ, invasiones domorum, homicidia & alia latrocinia, rerumq; & bonorum illegitimæ occupationes, factæ sunt, ac posthac quoq;, durante præsenti bello, à potentioribus, alijsq; inquietis personis fieri possent: Ideò statutum est, vt ad partis querulantis instantiam, Vicecomes cuiuslibet Comitatus, convocatis assessoribus & Iudicibus nobilium, alijsq; potioribus Nobilibus, quos habere poterit, tàm de præmissis violentiis, invasionibus domorum, homicidijs, latrocinijs & illegitimis occupationibus, à prætacto tempore hactenus patratis,

tratis, quàm etiam inposterum durante tempore belli huius anni, patrandis, non obstante ipso bello, iure mediante cognoscere, & de Regni legibus punire, ac ex parte ipsarum illegitimarum occupationum & damnorum, iuxta Articulum publicarum Constitutionum, de nouis bonorum illegitimis occupationibus, Anno Octogesimo septimo editum, parti læsæ ius & iustitiam administrare debeat & teneatur, sub amissione officij. Idem obseruetur etiam in liberis Ciuitatibus.

Art. XXXVII.

Executiones verò Sententiarum in similibus editarum, se etiam iuxta priorum annorum Constitutiones, tàm ad bona dominorum & Nobilium, quàm Regiæ Maiestatis extendant, sintq; obligati Officiales suæ Maiestatis & alij, eas sententias exequi permittere & iuuare, neq; tales malefactores, sed nec coloni & seruitores fugitiui in ipsa suæ Maiestatis bona, & dominorum ac Nobilium recipiantur. Si qui autem illuc transfugerent, restituantur sub pœna dupli homagij per Vicecomitem & Iudices nobilium, vigore præsentis Constitutionis irremissibiliter exigenda.

Art. XXXVIII.

Quod verò sua Maiestas Cæsarea atque Regia considerata singulari Regni necessitate, Taxas liberarum Ciuitatum, in vsus conscribendorum militum convertere velit: Status & Ordines Regni, suæ Maiestati ingentes gratias agunt, & supplicant, dignetur eas Taxas in medium Comitatuum in quibus illæ sitæ sunt, percipi permittere. Taxatio autem ipsarum Ciuitatum fiat per dominos Consiliarios Hungaros, & suæ Maiestatis Cameram; qua pecunia, vt ipsæ Ciuitates militem conducant, & ad lustrandum statuant, & instar aliorum, Capitaneis Comitatuum subijciant, Camera curet diligenter.

Art. XXXIX.

Simili modo supplicant humiliter suæ Maiestati Status & Ordines Regni, dignetur eorum, quæ de mittendo in superiorem Hungariam Hungarico Generali Capitaneo, suis fidelibus anteà sæpius benignè obtulit, memor esse, illisq; iam tandem exauditis, voti compotes eos facere. Existimant enim vtilius fore suæ Maiestati, & ipsi Regno, si suæ gentis Generalem illic habuerint.

Art. XL.

Dignetur porrò dominis supremis Capitaneis permittere, vt suis officijs cum autoritate præesse, vtque milites sub sese habentes, cuiuscunque nationis sint, cum plenipotentia iuxta cuiuslibet nationis iura & consuetudines, regere possint, vt melior militaris disciplina inter ipsos milites esse queat, quam hactenus fuit.

Art. XLI.

Item supplicant Status & Ordines Regni, vt Serenißimus Archidux Comitatui de Zabolch, ad eorum supplicationem, Anno Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo tertio & nuperrimè exhibitam, se clementer resoluere, suamque resolutionem executioni demandari iubere dignetur.

Art. XLII.

De contributione sub Strigonio particulariter facta, frustra est aliquid in memoriam reuocare, triplo enim maiores expensæ sunt posteà binis vicibus, quibus insurrectiones fieri debuerunt, factæ; quàm ea contributio esse potuisset. Accesit autem post non solum grauis omnis conditionis & status hominum oppressio, quæ ab eiusmodi contributione non immeritò omnes excusat.

Art. XLIII.

Nihilominus tamen statutum est, vt sicubi pro primo illo mense, Anni Nonagesimi quarti proximè elapsi, imò ea contributione etiam anni Nonagesimi tertij, adhuc aliquid soluendum restaret, illud per eos, qui ad percipiendas eas contributiones

(C) deputati

deputati fuerunt, exigatur, & sint omnes obstricti ad solutionem earum restantiarum, vt ijs militibus, quibus sua Maiestas ratione eius subsidij debitor remansit, ac Maiestati etiam suæ, ex eiusmodi restantijs, per exactores illarum satisfieri possit. In cuius solutionis auxilium accedant etiam restantiæ Taxarum Ciuitatum liberarum. Comitatus autem, qui se Dicari non permiserunt, irremissibiliter dicentur, & Dicatores ipsi obligati sint, rationem dare dominis Deputatis, de perceptis pecunijs, sub amissione bonorum.

ART. XLIIII.

Ad examinandas rationes dominorum Deputatorum Regni Hungariæ, anni Nonagesimi tertij, nominatur ex ordine Prælatorum, dominus Episcopus Vaciensis, Magnatum, dominus Franciscus Reuaij; ex ordine verò Nobilium, Magister Stephanus Zerdahelij, Prothonotarius domini Locumtenentis Regij, Thomas Vizkelethij, & Gregorius Tyrnauiensis, Vicecomes Comitatus Scepusiensis: Regni autem Sclauoniæ, Reuerendissimus dominus Episcopus Tininiensis, & Magister Caspar Petrichewich Viceprothonotarius Regni, quibus adiungat sua Maiestas Rationistas ex Camera Hungarica.

ART. XLV.

Annonam porrò in aliqua quantitate colligere possibile non est, spes tamen est, quod si sua Maiestas benignè de repreßione militaris licentiæ prospexerit, non defuturos, qui id, quod ex raptu militum conseruare potuerunt, in castra convecturi sunt.

ART. XLVI.

In quem quidem finem, concessit sua Maiestas Cæsarea & Regia, ac statutum est per Status & Ordines Regni, vt vectores victualium, nec Tricesimam, nec Telonium soluant, & qui ab eis scienter & contumaciter aliquid exegerint, ius Telonij perdant.

ART. XLVII.

In castris etiam & Ciuitatibus, Profosij & aliæ similes personæ nihil exigant, præter limitationem in castris per Generales Capitaneos fiendam. Secus facientes à Capitaneis puniantur. Sic, nec in vadis aggrauentur, sed in quolibet Comitatu competens Taxa decernatur.

ART. XLVIII.

Item statutum est, vt quicunq; eiusmodi victualia, quæ ad castra convehentur, in itinere, vel in castris colono sine precio ademerit, eumq; in eiusmodi conuectione turbauerit, is cuiuscunq; sit nationis, capite plectatur.

ART. XLIX.

Et ut sua Maiestas aliquam quantitatem frumenti ac annonæ habere posit, iubeat statim ordinem constituere, apud Præfectos annonæ, vt sine mora cum Regnicolis tractent, & si qui sint, qui in horreis aliquid habent, in soluto competenti precio, ad vsum belli pro sua Maiestate asseruent.

ART. L.

Quod concernit vecturam Bombardarum, & aliarum rerum bellicarum, iuxta veteres Regni constitutiones, liberæ Regni Ciuitates obibunt, & si illæ non sufficiant, cæteri quoq; fideles Regnicolæ cum ipsorum iumentis, pro competenti mercede iuuare tenebuntur.

ART. LI.

Iumenta tamen & currus Ciuitatum, & aliorum Regnicolarum, Supremi aut alij Capitanei ac milites (sicut in superiori Hungaria factum est) ad propriæ supellectilis vectionem non adhibeant, si qui secus fecerint, inhonesti habeantur.

ART. LII.

ART. LII.

De gratuitis laboribus hoc tempore adhuc nihil certi determinari potest, sed videndum priùs censent Status & Ordines, qui progressus belli futurus sit, interea cessant gratuiti labores.

ART. LIII.

De collectis autem gratuitorum laborum pecunijs, Comitatus rationem exigi curare debeant, & restantiæ quoque eorundem exigantur, & ad loca deputata convertantur.

ART. LIIII.

Dignetur etiam tàm in Hungaria, quàm in Sclauonia Confinijs prouidere, & veteranis militibus de solutione satisfacere: certum enim est frustra has constitutiones fieri, nisi Confinijs & militibus sufficienter prospiciatur. Capitaneis præterea & militibus ac possessoribus locorum finitimorum ad eorum supplicationes & protestationes dignetur se resoluere, antequam hinc discedatur.

ART. LV.

Atque hæc sunt, quibus fideles Status & Ordines, præter vlteriorem disputationem, pro posse eorum, præsens bellum iuuandum esse censuerunt. Supplicantes suæ Maiestati, vt his clementer contenta esse dignetur, & certò sibi persuadeat, quod si amplius quid præstare possent, ne id quidem omitterent. At cum ex querelis eorundem abundè perspexerit, eos ad extremam egestatem & paupertatem deuenisse, nihil restat eis amplius, in quo maiorem operam nauare scirent aut possent.

ART. LVI.

Denique quia suæ Maiestati Cæsareæ atque Regiæ benignè visum est, vt sua Maiestas, medio certorum suorum Consiliariorum, cum Illustrissimo domino Principe Transsiluaniæ, certis conditionibus fœdus iniret, ac superinde certi quidam Articuli, inter suam Maiestatem & ipsum Principem Transsiluaniæ confecti sunt, postulatq; sua Maiestas, vt Status & Ordines Regni iisdem Articulis assentire velint. Ideò eosdem Articulos, fideles Status & Ordines huius Regni obedienter, acceptantes, illos præsentibus eorum Constitutionibus inserunt, & pro ratis gratisq; admittunt. Postulant tamen Status & Ordines, vt si qui essent, qui ob fidelitatem suæ Maiestati vel antecessoribus suæ Maiestatis præstitam, aliqua nota affecti essent, illi pristino eorum honori restituantur. Et idem etiam de dominis Transsiluanis fiat atque intelligatur, si fortè qui ex illorum quoq; parte, propter adhæsionem illius Principis, per suam Maiestatem notati essent. Præterea vt tàm domini Transsiluani apud nos, quàm in ipsa Transsiluania, tàm ratione bonorum & iurium possessionariorum, quàm aliarum quarumcunq; occasionum lites mouere possint, & vtrinq; partibus causantibus ius & iustitia administrari debeat. Demum vt Comitatus Zabolch, Wgocha & Zathmar, à dominis Transsiluanis non molestentur, sed omnes illi Comitatus, integrè suæ Maiestatis iurisdictioni subiaceant, sicut & hactenus semper subiecti fuerunt, præterquam quod nonnulli fratres nostri illic interdum molestati fuerunt.

ARTICVLORVM AVTEM PRÆFATORVM TRACTATVVM TRANSSILVANICORVM TENOR SEQVITVR & est talis.

ARTICVLI ET CONDITIONES TRACTATVS, INTER Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Hungariæ & Bohemiæ Maiestatem, & Illustrissimum Transsiluaniæ Principem, dominum Sigismundum Bathorij de Somlio, per

Reuerendißimos Ioannem Kutasij, Episcopum Iauriensem & Regni Hungariæ Cancellarium, ac Stephanum Zuhaij, Episcopum Vaciensem, necnon Spectabiles & Magnificos, Thomam Erdeodij, perpetuum montis Claudij Comitem, & Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Banum, Nicolaum Palffij de Erdeod, Comitem Comitatus & Capitaneum arcis Posoniensis, necnon Cubiculariorum Regalium Magistrum, & supremum Cisdanubianarum Regni Hungariæ partium Capitaneum, Simonem Forgach de Ghijmes, Pincernarum Regalium Magistrum, & Ioannem Ioo de Kazahaza, Personalis præsentiæ Regiæ in Iudicijs Locumtenentem, Consiliarios Sacræ suæ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis, ad id delegatos, ex vna: Item per Spectabilem & Magnificum, Stephanum Bochkaij de KisMaria, Capitaneum Waradiensem, & Comitem Comitatus Bihoriensis, Consiliarium & Oratorem, necnon Generosos & Egregios, Gregorium Chakij de Kereszegh, Ioannem Sywegh, Iudicem Regium Ciuitatis Cibinien & Doctorem Alphonsum Carillium, ab Illustrissimo Principe Transsiluaniæ cum pleno & sufficienti mandato missos, ex altera parte: præsentibus ac mediantibus, Reuerendissimo & Illustribus dominis, Nuncio Apostolico Cæsare Speciano Episcopo Cremonense, & Serenißimi Regis Hispaniarum Catholici Oratore, Guilhelmo de Sancto Clemente, & Paulo Sixto Trautson, Libero Barone in Sprechenstain, Schrouenstain & Falckenstain, Comitatus Tyrolis Marschalco hæreditario, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Camerario, Consiliario Secreto, & Aulæ Cæsareæ Marschalco, initi & conclusi. Pragæ die vigesima octaua Ianuarij, Anno domini, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo quinto.

ARTICVLVS I.

SAcra Cæsarea Regiaq; Maiestas, pro sua persona & Ordinum Regni Hungariæ promittet, se in bello contra hostes suscepto, progressuram. Quod si verò aliquando ad fœdus & pacem res deueniret, ne absq; præscitu & comunicato consilio vtriusq; partis, fœdus aut concordia cum hoste transigatur. In transactione verò, tàm Transsiluania, quèm ditiones illi subiectæ, continebuntur, vtraq; item Walachia, nimirùm Moldauia & Transalpina, quæ à Turcarum societate recesserunt. Illustrissimus autem Princeps Transsiluaniæ, vicißim suæ Maiestati, suo ac Ordinum Transsiluaniæ, & subditorum populorum suorum nomine promittet, se quoque in bello contra Turcas progressurum, neque fœdus vllum tractaturùm vel initurum cum hoste, sine præscitu, consensu & approbatione suæ Maiestatis, Regniq; sui Hungariæ, idq; iuramento confirmabit.

ART. II.

Vt Transsiluaniæ iurisdictio, inclusis etiam cunctis ijs Hungariæ partibus & confinijs, hactenus per Principem posseßis, penes eundem Principem, dominum Sigismundum Bathorij de Somlio, eiusdemq; hæredes masculini sexus, ex proprijs lumbis, in sua linea recta descendentes, cum iure primogenituræ, eo prorsus modo, quo tempore antecessorum ipsius Principis fuerunt, nempè Ioannis, Stephani, & Christophori Bathorij, cum omni prouentu, iure & antiquo vsu, integra absolutaq; ita maneat, vt semper merum mixtumq; imperium, liberamq; iurisdictionem in ea habeat. Ita tamen, vt suam Maiestatem Cæsaream ac Regiam, eiusdemq; legitimos Successores Hungariæ Reges, ipse & sui Successores, pro ipsorum legitimis Regibus recognoscant, ac recognitionis & fidelitatis iuramentum semper præstent, citra tamen Ius feudi: idq; Successores quidem tempore mutationis Regiminis, tunc videlicet, quando possessionem Prouinciæ acceperint: Modernus autem Princeps, modo. Deinde, vt decedente sine hæredibus masculis ipso Principe, vel illis superstitibus, ac in hac eius linea legitima deficientibus, ipsa Transsiluania eiq; annexæ ditiones, non in alterius, quam in suæ Maiestatis, eiusq; Successorum Hungariæ Regum, ditioné & potestatem

tanquàm

tanquàm verum & inseparabile membrum, absq; ulla controuersia peruenire debeat. Et super hoc ipse Princeps, se, suosq; Ordines & omnes suæ Ditionis Status, juramento fidei obstringat. Cessante autem hærede in linea masculina moderni Principis, ac ipsa Transsiluania, juxta præsentes Articulos, ad Coronam Hungariæ deuoluta, teneatur tâm moderna Cæsarea Regiaq; Maiestas, quàm Successores eiusdem, Iura municipalia, Priuilegia & consuetudines in Transsiluania receptas, inuiolatas seruare, nec ulla ex parte immutare. Donationes item omnes & Inscriptiones, semper pro ratis & gratis acceptare. Tenebitur præterea Rex Hungariæ, a tempore, quo Transsiluania ad coronam deuoluetur, unum pro suo placito ex Ordinibus Transsiluaniæ Gubernatorem seu Waywodam illarum prouinciarum creare. Et quia DEI benificio ipse Princeps Transsiluaniæ, non filios tantum, sed & filias procreaturus speratur, ideò deficiente (ut dictum est) masculo hærede, sua Maiestas, cuilibet filiæ de Dote Centum millium florenorum Rhenensium prouidebit, extra mundum muliebrem & Iocalia. Successor item suæ Maiestatis Cæsareæ atq; Regiæ, tempore depositionis sui Iuramenti, quod Regno Hungariæ præstabit, Transsiluaniæ quoq; particularem & specialem in eodem Iuramento mentionem faciet Ciuitas Nagijbania possidebitur à Principe Transsiluaniæ, ita ut illa Serenissimo quondam Regi Poloniæ Stephano Bathorij, per suam Maiestatem collata fuit.

ART. III.

Sacra Cæsarea Regiaq; Maiestas, Principem Transsiluaniæ recognoscet pro libero Principe, eiq; titulum & appellationem Illustrißimi concedet, eamq; sua autoritate (vt moris est) munitam reddet, & peculiari Diplomate confirmabit.

ART. IIII.

Vt Sacra Cæsarea Maiestas sua, ex Inclyto sanguine Austriaco, Illustrißimo Principi vxorem primo quoq; tempore procuret, nihil prætermissura est opportuni officij, apud Serenißimi quondam Archiducis Caroli, Patrui sui charißimi, Viduam, & apud Serenißimum Archiducem Ferdinandum, ac Bauariæ Ducem, qui vnà cum Sacratißima Maiestate sua dicti Serenißimi Archiducis Caroli filiarum Curatores sunt, ne eorum consensus desit, quin ex filiabus illis aliqua detur.

ART. V.

Vt Illustrißimus Princeps aureo vellere à Serenißimo Hispaniarum Rege Catholico insigniatur, Sacra Maiestas sua procurandum suscipiet.

ART. VI.

Vt verò Illustrißimus Princeps aduersus communem hostem alacrius & securius pergat, Sacra Cæsarea ac Regia Maiestas sua, neq; ipsum Principem, neque Transsiluaniam, aut ditiones illi subiectas, vllo tempore, quicunque rerum casus, fortunæq; mutatio ingruat, desertura est. Et iam quidem aliquibus auxilijs, pro præsenti occasione submittendis, iuuabit, & in posterum, si maior necesßitas ingruat, auxilia maiora, siuè per Generalem Cassouiensem, siuè per alios suppeditabit. Quoniam verò Sacra Maiestas sua, copijs militaribus & omni apparatu bellico necessario, vtpotè Tormentis, globis, puluere & reliquis omnibus instrumentis iuuare constituit, minus iuuare pecunia potest, de qua ante hac nulla mentio facta fuit. Atque hæc auxiliorum suppeditatio, vltrò citroq; mutua & reciproca erit, prout necesßitas vnius vel alterius partis requisierit, vt vbi maior necesßitas fuerit, eò maiora auxilia conuertantur.

ART. VII.

Vt Sacrum Romanum Imperium quoque Illustrißimi Principis ac ditionum ipsi subditarum, tutelam ac defensionem suscipiat, Sacra Maiestas sua, quantum in se erit, suo tempore libenter curabit, ipsumque Principem ac posteritatem ipsius,

inſertos & inſcriptos, ac omnia & ſingula in eis contenta, ratos gratos, & accepta habentes, eiſdem noſtrum Regium conſenſum, beneuolumq; pariter & aſſenſum præbuimus, illoſq; & quæuis in eis contenta, autoritate noſtra Regia acceptauimus, approbauimus & confirmauimus, Offerentes nos clementer, quod præmiſſa omnia, in omnibus punctis, clauſulis & Articulis, tàm nos ipſi obſeruabimus, quàm per alios omnes fideles ſubditos noſtros, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, inuiolabiliter obſeruari faciemus: Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum noſtrarum vigore & teſtimonio literarum. Datum in arce noſtra Regia Pragenſi, decima quarta die menſis Martij, Anno Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo quinto: Regnorum noſtrorum, Romani vigeſimo, Hungariæ & aliorum vigeſimo tertio, Bohemiæ verò anno ſimiliter vigeſimo.

NOS RVDOLPHVS ſecundus, diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Sclauoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Charinthiæ, Carniolæ, & Wiertenbergæ, Marchio, Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore preſentium ſignificantes, quibus expedit vniuerſis. Quod fideles noſtri domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; ſtatus & Ordines Regni noſtri Hungariæ, & partium ei ſubiectarum, in generali eorum Conuentu, decimo quinto die proximè præteriti Menſis Ianuarij, Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſexto celebrato, in Ciuitate noſtra Poſonienſi, ex mandato noſtro congregati, exhibuerunt & præſentauerunt nobis medio ſereniſſimi Principis Matthiæ, Archiducis Auſtriæ, &c. fratris noſtri chariſſimi, qui ſcilicet noſtro nomine dicto generali Conuentui præfuit, infra ſcriptos Articulos, in eodem Conuentu, communibus eorum votis & ſuffragijs, pariq; & vnanimi conſenſu concluſos. Supplicantes nobis humiliter, vt vniuerſos & ſingulos eos Articulos, omniaq; & ſingula in eis contenta ratos, gratos & accepta habentes, noſtrumq; Regium Conſenſum illis præbentes, autoritate noſtra Regia clementer acceptare, approbare ratificare & confirmare, atq; tàm nos ipſi obſeruare, quàm per alios omnes, quorum intereſt, obſeruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis eſt.

ARTICVLI DOMINORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE STATVVM ET

Ordinum Regni Hungariæ, partiumque ei ſubiectarum in generali eorum Conuentu, ad decimum quintum diem Menſis Ianuarij Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſexto, indicto, Poſonijq; celebrato concluſi.

Præfatio, in qua Status Regni, opem Maieſtatis ſuæ Cæſareæ humiliter implorant, & pro benigna ac paterna erga ſe affectione & cura, Maieſtati ſuæ Cæſareæ gratias agunt.

ARTICVLVS I.

Fideles Status & Ordines ſuæ Maieſtatis Cæſareæ & Regiæ propoſitiones, eò attentioribus animis conſiderarũt, quò certius ex eis intelligunt, ſuam Cæſaream Maieſtatem, certis nuncijs atq; indicijs pro explorato habere, Turcarum Principem, validiori quàm antea unquam exercitu, contra hoc afflictum Regnum Hungariæ ducendo, incumbere, magnaq; ex parte iam in procinctu habere. Quem cum ſciant innumerabilibus copijs & apparatibus bellũ gerere conſueuiſſe, ita ut reliquijs huius Regni non ſolùm difficilè, ſed neq; poſsibile ſit, illius viribus reſiſtere; Status atq; Ordines ſuæ imbecillitatis conſcij, Maieſtatem ſuam Cæſaream, vti dominum patrem ſuum clemen-

tißimum, humilimè orant & obteſtantur, vt quemadmodum hactenus, & potißimum hoc triennio, piè planè ac paternè præſtitit, nunc quoq; eas rationes inire, atque omni conatu efficere velit, quo fideles ſuos Hungaros, ab imminenti periculo & clade, quantum auxilio Dei opt: max: fieri poterit, pro viribus defendere, ac ferocißimum hoſtem reprimere queat: ne per ipſorum latus, cæteræ ſuæ Maieſtatis Prouinciæ, in vicinio conſtitutæ, & per conſequens. Chriſtiana Reſpub: inſigne aliquod & irreparabile damnum capiat. Quod Maieſtatem ſuam Cæſaream modis omnibus facturam, requiſitis in auxilium cæterorum Regum & Principum, ipſiusq; Sacri Romani Imperij auxilijs & ſuppetijs, haud dubitant, ſicuti poſt ruptum, à perfido hoſte fœdus ſingulari cura & ſtudio reipſa præſtitit, ſuamq; erga hoc afflictum Regnum planè paternam beneuolentiam declarauit. Pro qua, vti debent, ſingulares æternasq; gratias agunt & habent: Deum opt: maxim: precati, vt ſuam Cæſaream Maieſtatem, diutißimè conſeruet, viresq; ſubminiſtret, quibus ſe ac ſuos, à perfidi truculentiq; hoſtis rabie tueri, atq; etiam vindicare poßit.

Regnicolæ iuxta piam Maieſtatis Cæſareæ admonitionem. defenſioni patriæ ſuæ non deeſſent, ſi priſtinæ vires, & facultates eis ſuppeterent.

ART. II.

Vbi verò Maieſtas ſua Cæſarea Status & Ordines benigne hortatur, ne vel præteritorum malorum memoria, aut incerto futuræ ſortis metu, animos deſpondeant, ſed potius ſpe melioris ſucceſsus magis magisq; erigant, ingruentibusq; malis ope & opibus obſiſtant, ac contra aduerſos caſus, non infractum modò, ſed inuictum etiam animum oſtendant, neq; calamitatibus & malis; quæ bella ſecum trahunt, vel militum inſolentia, quæ tàm tranſeundo in itinere, quam in hybernis, varias grauesq; populis clades intulerunt, moueantur, quin potius inſignibus. veterum erga Patriam fortitudinis atq; liberalitatis monumentis, qui Patriam vita chariorem habuerunt, inducti, neq; mori pro Patria detrectent, neq; eam anguſtijs rei pecuniariæ laborantem, eorundem exemplo deſerant. Status & Ordines tametſi ad defendendam patriam per ſe egregiè animati, pro ea extrema quæq; pati parati ſunt: hac tamen ſuæ Maieſt: Cæſareæ benigna cohortatione veluti calcari addito, eò promptius & alacriùs omnia præſtituri, nec vllius hominis de ſe expectationi defuturi eſſent, ſi priſtinæ vires & facultates eis ſuppeterent, verùm tot & tantis ac continuatis ferè bellorum procellis, quibus iam à tot ſeculis agitantur, in eas calamitates & rerum omnium anguſtias deuenerunt, vt ſi inſtantis periculi magnitudo conſideretur, tàm ipſimet exigua. propulſandis malis auxilia & remedja de ſe polliceri queant, quàm ſua Cæſarea Maieſtas, non multum ſubſidij ab eis expectare poßit.

Qua ratione militum inſolentia compeſcenda. ART. III.

Ad querelas Statuum & Ordinum, de effreni licentia ſeu potius impietate ſtipendiariorum militum, ad ſuas Maieſtates delatis; quos ab initio huius belli, & præſertim anno ſuperiori, non in miſeram duntaxat plebem, ſed alios etiam cuiuſuis conditionis homines, tam crudeliter, & hoſtiliter graſsatos eſſe conqueſti ſunt, ut ſi quis omnia eorum ſcelera, rapinas, cædes, incendia, ſacrilegia enumerare conetur, eum dies & verba deficiant. eaq; ferè poſt obitum Illuſtrißimi olim Caroli, Principis & Comitis a Mansfeld; qui militem in officio continebat, emerſiſſe, quod attinet; eiuſmodi malis ita mederi poſſe autumant, Si ſua Maieſtas prout Statibus & Ordinibus benignè pollicetur, ſedulò curauerit, ne in auertendis rapinis & compoſcenda militum inſolentia, alijſque remedijs eiſdem malis adhibendis, quicquam impoſterum deſideretur.

Status

Status Regni non ideò conqueruntur, quod contribuere nollent, sed attenuatis eorum opibus, vt sua Maiestas de extraneo etiam exercitu, sicuti hactenus contra tantum hostem benignè prospicere dignetur.

ART. IIII.

Et tametsi publicæ Statuum & Ordinum querelæ graue & intollerabiles sunt, eoq; grauius tollerari possunt, quòd mala & damna ab ijs patiantur, quos Cæsarea Maiestas maximis sumptibus in sui regni defensionem conducit; tamen non ideò commemorantur, quod Regnicolæ, ingruente tanta tamq; ardua necessitate, sese à contribuenda ope & subsidio subtrahere vellent, (faciunt enim quicquid vires & facultates ferre possunt) sed vt exhaustis publicè priuatimq; opibus ipsorum, sua Cæsarea & Regia Maiestas, sciat & intelligat, quàm parua auxilia possint conferre. Atq; vt sua Cæsarea Maiestas, vti hactenus, ita nunc etiam aliunde supplementa & exercitum comparare, ac ferocissimo hosti obuiam ire, remq; publicam Christianam tueri & defendere pergat.

Subsidium Nouem florenorum pro hoc anno offertur in duobus terminis exigendum, vnus florenus pro Confiniorum munitione, reliqui octo pro conductione peditum Hungarorum, simulq; lustrationis & erogatæ pecuniæ rationis exigendæ modus, portarumq; noua connumeratio instituta. ART. V.

Quia autem pecuniam neruum belli ac rerum omnium effectricem esse pro comperto habent, vel in his angustijs & ærumnis suis, sibi ipsis & Patriæ, in extremo discrimine versanti, deesse nolentes: Offerunt suæ Maiestati Cæsareæ ad præsentem annum, inclusa tàm particulari quàm generali insurrectione, de singulis portis, nouiter, tàm in eorum, quàm suæ Maiestatis, Ecclesiasticis scilicet & secularibus bonis, numerandis, singulos nouem florenos Hungaricos, ad Cameram Hungaricam dandos, idq; in duobus terminis. Primo pro festo S. Georgij, secundo verò pro festo Natiuitatis S. Ioan: Baptistæ, prout sua Serenitas postulauit, ea adiecta conditione, ut vnus florenus cuiuslibet portæ, pro munitione Confiniorum, reliqui octo pro conductione peditum Vngarorum, cedant. Hæcq; pecunia non aliorsum, quàm ad hunc conducendi peditis Vngari vsum, conuertatur: quorum quidem peditum Lustratio, vna cum erogatione pecuniæ, nec non dandæ rationis modo, fiet eò pacto, quò sua Maiestas in sua propositione postulat; videlicet, vt tàm Lustrationi, per suæ Maiestatis Officiales ad id iuratos peragendæ, quàm solutioni militum, speciales homines Statuum adhibeantur, & in proxima Diæta eorum relatio fiat, fiatq; noua connumeratio portarum. Quæ vt certiori modo peragatur, sua Maiestas Cæsarea, aut Camera, Dicatores fideles & diligentes constituat, & vt noua connumeratio absq; fraude fiat, Dicatori adiungatur. Nobilis iuratus in quolibet Comitatu, qui ambo ex officio suo, more alias consueto, iuramento Iudicis cuiuslibet villæ contenti, connumerationem peragant, neq; tamen muneribus, aut actione pecuniæ pro Schedis aut alio quouis modo miseros colonos taxent, adeoq; absq; fraude conscientiose portarum numerum conscribant, neq; bona vllius fraudandi studio dissimulent aut supprimant: Iurati Nobiles sic & Vicecomites ac Iudices Nobilium & Notarij gratis hoc anno seruiant, in hac connumeratione portarum.

Domini Prælati, Barones, Magnates & possessionati Nobiles, de singulis portis similiter nouem florenos, ex propria bursa offerunt, eaq; pecunia Equites bene armatos expedient, qui cum peditibus sex Mensibus seruire debeant.

ART. VI.

Præter hanc oblationem Nouem florenorum, quilibet Dominorum Prælatorum, Baronum ac Magnatum & possessionatorum Nobilium, (salua remanente antiqua Nobilitatis prærogatiua,) ex propria crumena de singulis portis, pro hac vice

vice tantum, alios nouem florenos ordinabit, & ea pecunia, Equites benè armis instructos, in Castra expediet, qui cum dictis peditibus, sex integros Menses, incipiendo à Decima quinta die Maij, in Castris morabuntur, sub Capitaneis Supremis seu Generalibus Vngaris, ita vt in numerum horum nouiter conscribendorum equitum, stipendiarij milites non admittantur.

De personali penes Maiestatem Cæsaream insurrectione.
ART. VII.

Si verò Maiestas sua Cæsarea personaliter in Castra adueniet, quod Status & Ordines ex animo cuperent; offerunt se more veteri personaliter eò venturos, armis, equis, & apparatu bellico bene instructos, & tam diu, donec necessitas postulauerit, penes personam Maiestatis suæ militaturos.

Vt gentes Regnicolarum, ex propria crumena conducti, per Magistros Lustrationum suæ Maiestatis Cæsareæ lustrentur.
ART. VIII.

Quoad istud verò subsidium, ex propria crumena Regnicolarum oblatum, vt sibi sua Maiestas persuadere possit, Regnicolas in fideli intertentione harum suarum gentium non defuturos; admittunt humiliter, vt eas Magistri Lustrationum suæ Maiestatis lustrare possint, quandocunq; voluerint.

Subsidium Sclauonicum in vsum eius Regni conuertatur.
ART IX.

Subsidium Sclauonicum in vsum eius Regni conuertetur, soluetur q; ibi dimidium more antiquo, sicuti & coloni Turcis subiecti.

Modus taxandi in quolibet Comitatu Ecclesiasticos, Nobiles vnius sessionis & Armales aliasq; diuersas personas, statuitur.
ART. X.

Quod ad vnius Sessionis Nobiles, item Armales, Prædiales, Libertinos, tàm Regios, quàm alios, nec non eos, qui in officijs & seruitiis quorumcunq; sunt; præterea Molitores proprias molas habentes, Anabaptistas, Iudæos, Ruthenos, Walachos non exercituantes, Plebanos & Concionatores non possessionatos, item lignisectores, Carbonarios, in serie Villarum domos non habentes, præterea fugitiuos Nobiles, Abbates, Præpositos, Altarium & Capellarum Rectores, Archidiaconos, Capitula, & alia maiora beneficia habentes, & Decimas, Nonas, Quartas, & Sedecimas percipientes, non possessionatos, attinet, ij omnes in quolibet Comitatu taxentur per Vicecomites, Iudices Nobilium, & alios potiores Nobiles, iuxta eorum iuramentum, quo se ad administrandam iustitiam obstrinxerunt. Armales autem, alijq; Nobiles, in ciuilibus & non exemptis fundis habitantes, ratione ipsorum quoq; fundorum contribuere & Dicari debebunt, possesiones, quæ per dominos terrestres Inquilinariæ aut libertinæ factæ sunt, & quæ hactenus Dicatæ non sunt, taxentur per eosdem Vicecomites, & Iudices Nobilium, cum potioribus Nobilibus, vt supradictum. Decem lanceatorum Nobiles, sedis superioris Comitatus Scepusiensis, per ipsorum Vicecomitem & iuratos Assessores taxentur.

Cui gentes Regni subesse debeant. ART. XI.

Eiusmodi gentes omnes, modo prædicto in vnum collectæ, in quolibet Comitatu peculiarem Capitaneum & peculiare vexillum habeant. Omnes autem sub suæ Maiestatis vexillo & eius Capitaneis Vngaris, supremo Regni Capitaneo pareant & subsint.

De

De modo exercituandi, Constitutiones anni præteriti seruandæ. ART. XII.

In reliquis, tàm de condeſcenſione militum, quàm alijs, quæ hanc bellicam expeditionem concernunt; Constitutiones anno præterito de modo exercituandi ſancitæ, obſeruentur.

Ad bona Eccleſiaſtica ac vicinorum Nobilium & Ciuitatum villas condeſcendentes & damna inferentes, qualiter puniendi. ART. XIII.

Quia verò Domini quidam & Nobiles, ac etiam Capitanei, ſuos ſeruitores, equites & pedites, ad bona Eccleſiaſtica & Nobilium vicinorum, & Ciuitatum villas condeſcendere faciunt, qui multa damna miſeræ plebi inferunt, fœnum, pabulum & alia diripientes, ac ſe gratis ſuſtentari curantes: Statutum eſt, ne id fiat, & ſi qui dominorum & Capitaneorum impoſterum id facere auſi fuerint, puniantur per Vicecomites, aut ſupremos Comites, vel ipſis non ſufficientibus, per ſupremos Capitaneos Regni, ſub iuramento, quo ſuæ Maieſtati & Regno ſunt obſtricti

Capitanei & milites Comitatuum, ſimiliter à condeſcenſu & illatione damnorum prohibentur, & quomodo inobedientes, ſic quoq; Capitanei, penes milites & vexilla ſua non manentes, puniendi ſint.

ART. XIIII.

Idem Statutum eſt etiam in Capitaneos ſeu milites, quorumlibet Comitatuum, qui ſimili modo in bona & villas Nobilium ac Ciuitatum condeſcendere, & victualia gratis diripere ſolent, ac varia damna inferre, nimirum, vt etiam ij, à Vicecomitibus, ſeu Comitibus, aut eis non ſufficientibus, per Supremos Capitaneos Regni, non obſtante prærogatiua Nobilitari, pro demerito puniantur, ſub iuramento, quo ſuæ Maieſtati & Regno ſunt obſtricti. Dicti autem Capitanei Comitatuum, penes ſuos milites, & ſua vexilla maneant, alioquin per ſupremos Capitaneos irremiſsibiliter puniantur. Idem fiat in Sclauonia per Banos.

De pœna eorum, qui gentes ſuas in bellum non expediuerint, & vſq; ad terminum præfixum in Caſtris non intertenuerint. ART. XV.

De ijs, qui gentes ſuas præmiſſo modo in bellum expedire nollent, aut non curarent, vel eos, vſq; ad præſcriptum terminum in Caſtris non intertenerent, ſeruetur Articulus vigeſimus ſextus, anno ſuperiori de eo conſtitutus. Hoc addito, quod ſi primò Vicecomites, deinde autem ipſimet etiam ſupremi Comites, ad requiſitionem ſupremi Capitanei Vngari, executionem hanc in effectum deducere nollent, ex tunc teneantur ijdem ſupremi Capitanei, talium Vicecomitum & Comitum bona, vſq; ad ſolutionem tripli occupare, ipſis autem comitibus & Vicecomitibus ad Executionem inſufficientibus, ijdem ſupremi Capitanei, ſub amiſsione officiorum auxilio eſſe, & contumaces, modo præſcripto, punire debeant.

Capitanei Comitatuum, defectum militum non ſignificantes, qualiter puniendi, & vt Comitatus ſuis gentibus idoneos Capitaneos præficere debeant, alioquin per ſupremum Capitaneum, alij magis idonei, illis ſubrogentur. ART. XVI.

Si verò eiuſmodi defectum militum, Comitatuum Capitanei, ſupremis Capitaneis non ſignificauerint, de facto per Supremos Capitaneos officio & ſtipendio priuentur: Curent etiam Comitatus, vt idoneos Capitaneos gentibus ſuis præficiant, alioquin Supremi Hungari Capitanei habeant autoritatem, cum conſenſu & præſcitu Comitum & Vicecomitum, alios idoneos in locum eiuſmodi inhabilium & minus aptorum, eligendi & conſtituendi.

Milites Cæſareæ Maieſtatis, omniumq; Dominorum & Nobilium huic oneri ſubijciuntur. ART. XVII.

Si autem huic oneri ferendo ſubiecti, etiam in ſtipendio ſuæ Maieſtatis, vel quorumuis Dominorum & Nobilium militantes,

Domini

Domini Deputatarij Anni Nonagesimi tertij Cameræ Hungaricæ dent de præceptis rationem, & quomodo tùm illorum, tùm verò præteritorum subsidiorum, anniq; præteriti ac gratuitorum laborum restantiæ, in quolibet Comitatu exigendæ. ART. XVIII.

A Dominis Deputatarijs Anni Nonagesimi tertij, ratio exigatur in Camera Vngarica suæ Maiestatis, neq; enim hoc belli tempore, in partibus id commode fieri posset. Quod attinet ad restantias eius anni, domini Deputatarij eas se nunc exigere non posse dicunt, sed & eas, & præteritorum subsidiorum ac anni præteriti, nec non laborum gratuitorum restantias ac pecuniam, Vicecomites quorumlibet Comitatuum, præsente viro Nobili, ad id per supremum Comitem Comitatus ipsius adiungendo, exigant & Cameræ dent. Qui verò ea curauerunt, compellantur ad dandam Cameræ rationem, per Supremum Comitem cuiusuis Comitatus.

Ciuitates liberæ, quorum taxa in bellicos vsus deputata, in commercijs & redditibus, alijsq; eorum libertatibus conseruandæ. ART. XIX.

Quod sua Maiestas Cæsarea Taxas liberarum Ciuitatum in bellicos vsus deputaturam se benignè offert. Maiestati suæ Cæsareæ Status & Ordines gratias agunt quàm maximas. Et quia Ciuitates ipsæ, tam in soluenda taxa, quam Dica è bonis suis prouueniente, tùm etiam vectura bombardarum, ac militum intertentione, satis superq; grauari solent. Supplicant Regnicolæ Maiestati suæ Cæsareæ humiliter, vt cum ipsi peculium coronæ suæ Maiestatis sint, dignetur eis ita parcere vt quoad præfata onera subleuanda, eorum condigna ratio habeatur, ac ipsi in commercijs & redditibus, alijsq; eorum libertatibus conseruentur, nec nimia taxatione grauentur, signanter ne à Ciuitate Zakolcza vectigal accipiatur, sicut neque ab alijs priuilegiatis, in quantum in vsu fuerunt.

Ordinatio noua stipendij militarìs, & de pœna plus accipientis, deq; ordine & disciplina militari seruanda. ART. XX.

Ad stipendium menstruum militare quod attinet, videtur Statibus & Ordinibus, vt durante hac semestri expeditione, quando precium Annonæ excreuit, Equiti per mensem non plures, quam quinq; floreni Hungarici, pediti tres dentur. Quinque autem floreni ideò constituuntur, ne vel currum, vel aliam aliquam stipendij auctionem accipere audeat. Plus accipientes, pœnam in superiori Diæta sancitam, incurrant. Debeat etiam quilibet Eques, qui ad quatuor vel infra equos stipendium percipit, hastam ipsemet gerere, simul & seruitores eius, si nollet, cogat eum Supremus Capitaneus, verbere & alijs oportunis remedijs. Ad formulam iuramenti militaris quod attinet, supremi Capitanei officio suo sedulo perfungantur, & curabunt, vt ordo & disciplina militaris seruetur.

Tres iusticiæ Capitanei in Castris constituendi, Vngari tamen à nullo alio, præterquam à Iudice Vngaro iudicentur. ART. XXI.

Quod sua Maiestas Cæsarea tres in Castris Iusticiæ Capitaneos constituendos censet, ad coërcendam militum proteruiam, Vngarum, Germanum & Italum, æquum esse videtur, sed tamen tantum Iudex Vngaricus, neq; alius, habeat autoritatem Vngaros milites iudicandi, neq; Profosij aut alij, in eius officium se immisceant, vel aliquem Vngarum capiant. Quod si in flagranti crimine cæperint, sine mulcta ad manus Iudicis Vngarici tradant: sic & è contra.

De pœna eorum, qui spe maioris lucri & stipendij ad exterorum Dominorum & prouinciarum seruitia sese conferunt. ART XXII.

De ijs, qui spe maioris lucri & stipendij, ad exterorum Dominorum & prouinciarũ seruitia sese conferunt, sicuti sua Cæsarea Maiestas postulat, ita Status & Ordines, anni superioris Decreto inhærent, ne nimirum hoc anno, vllus ex Hungaris, vel Croatis & Sclauis,

Sclauis,ad exterorum Dominorum & prouinciarum, (excepto Summo Pontifice, qui eodem stipendio,vt supra dictum est,militem Vngarum conscribere poterit)stipendia vel seruitia se conferat,& in numerum Cataphractorum vel Archibuserorum & Kozakorum se conscribendum curet,imò qui nunc inter eos sunt, statim inde recedant,& in militiam Hungaricam redeant. Si quis secus fecerit, sua Maiestas Cæsarea,aut Reuerendissimus Dominus Locumtenens (cuius autoritas,vt inconcussa maneat,Regnicolæ suæ Maiestati supplicant) bona illius benemeritis conferat. Si bona non habuerit, sua Cæsarea Maiestas,Supremis Capitaneis,medio Generalis Ducis auxilio esse velit,vt is ad manus eorundem Capitaneorum supremorum assignetur, capite plectendus.

Liberi Haydones & Equites vagi, iuxta anni superioris Constitutiones, è medio tollendi. ART. XXIII.

De liberis Haydonibus, renouatur Constitutio anni superioris proximè præteriti. Eos autem vbicunq; inuenti fuerint, Vicecomites & supremi Comites, eorum Comitatuum è medio tollant, aut ijs non sufficientibus, supremi Capitanei. Idem intelligatur de vagis & liberis quoque Equitibus.

Status & Ordines sese humilitèr excusant, quod ipsi causam penuriæ Annonæ & excrescentis eius precij, non præbuerint, sed certis rationibus vndè promanarit ostendunt. ART. XXIV.

Cæterum,vbi Maiestas sua Cæsarea postulat benignè,vt cum bello fæliciter prosequendo,apprimè necessarium sit, vt certa taxa Annonæ & pabulationi constituatur, quod ab ijs,qui è longinquis regionibus ac Sacro Romano Imperio,pro eliberando Regno Hungariæ veniunt,cum inuidia Vngarici nominis, diuersæ querelæ audiuntur, de excrescente ad iniquum & intollerabile precium, re annonaria, idque inde euenire, quod aliqui ex Regnicolis,priuati lucri causa,omne frumentum,quod vsibus incolarum superest,coëmant,ac pro suo libitu,non militibus solum, sed etiam Annonarijs suæ Maiestatis Cæsareæ diuendant: Libenter Status & Ordines eam limitationem peragerent, verùm id hîc domi commodè fieri non posse videtur, sed res ea omnis in Castris, pro ratione temporis ac annonæ & pabuli,cæterarumq; eius generis rerum copia vel penuria,decernenda limitandaq; est, communi generalis Ducis ac reliquorum Capitaneorum Supremorum consilio,iudicio & consensu. Cæterum, qui nam illi sint,qui Commeatu præempto causam penuriæ seu augendo precio annonæ præbuerunt, Statibus& Ordinibus non constat,ita vt ipsi sibi persuadeant, hæc atq; similia à maleuolis quibuspiam Maiestati suæ Cæsareæ falsò dicta propositaq; fuisse; Tantum enim abest,vt Status eiusmodi illicito quæstui incumbant, vt potius miseris colonis suis frumenta distribuant,à quibus partim hostes,partim milites ea crudelitèr eripuerunt, neq; aliam penuriæ causam esse existimant,præter anni superioris sterilitatem,quam,quod externus miles obuium quodq; diripuit, sine vllo Nobilis aut rustici, Prælati aut Magnatis discrimine. Pluribus in locis frumentum quod ipsemet consumere nequiuit, aut eo equos pauit,aut vendidit aut dissipauit. Plurimos qui commeatum in Castra vehebant, in itinere adortus est,illudq; ei ademit,vt nec ipsi vectori quicquam pro suo labore inde rediret,nec in Castris venum exponi posset. Non paruo etiam impedimento fuit, quod rerum taxatio, contra præteriti anni decretum, Germano Marschalco Castrensi fuit commissa,qui cum Profosios haberet,per eos victualia,ita vti voluit,limitauit,idem cæteri quoq; Capitanei fecerunt,Pontem quoq; homines ipsius continuò insederunt, ac à transeuntibus, tàm pecunias insolitas,quàm partem victualium,quæ vehebant, extorserunt. Quod verò vix tollerabile fuit,etiam ægrotis ac in bello sauciatis, imò & occisis militibus,transitum sine Vectigali non dederunt. Quos abusus,vt sua Cæsarea Maiestas ac Serenitas sua,vti offerunt,clementèr tollant.

Supplicant Status, vt tempestiuè in Regni partibus Magistri annonæ ordinentur.

ART. XXV.

Tum verò etiam supplicant, vt tempestiuè Magistri Annonæ ordinentur, tàm hìc, quàm in partibus superioribus, præbita eis aliqua summa pecuniæ, vt annonæ certam quantitatem ad vsus belli comparare intempore possint.

Vt in Castris certi Magistri fori per Supremos Capitaneos pro Hungaris constituantur, & Profosij in rem Annonariam se non immisceant.

ART. XXVI.

In Castris etiam erunt constituendi pro Hungaris certi Magistri fori, per Dominos Supremos Capitaneos, qui inuigilent, ne victualia in Castris sine precio rapiantur, nec se Profosij in rem Annonariam immisceant, aut ex inuectis in Castra rebus, portionem capiant, aut aliquod vectigal exigant, sed proprijs suis stipendijs militaribus contenti, viuant, vt hac ratione victualia in Castris magis abundent. Quo facto, annona & viliori precio veniet, & miles à rapina faciliùs prohibebitur.

*Vectores victualium à militibus non molestandi, & à viciniorib*us *quoq; Regnis & Prouincijs victu alia aduehenda.*

ART. XXVII.

De vectura victualium, si Castra paulò remotius à Danubio sita fuerint, Regnicolæ existimant, si ij, qui victualibus vehendis & deuehendis victum querunt, à militibus non molestentur, neque damno afficiantur, ac iustum precium persoluatur, non futuram pro præsentis temporis ratione, annonæ & commeatus inopiam. Quia tamen fertiliora fere Regni loca, hostes Turcæ & Tartari, miserabilem in modum deuastarunt, & milites quoque exteri quod reliquum fuit, instar harpyarum depasti sunt, & alioquin hic annus non fuit æquè vt alij adeò fertilis, Maiestas sua Cæsarea, pro singulari sua benignitate, etiam ab alijs Regnis & prouincijs suis vicinioribus victualia aduehenda curet, nam ex sola Hungaria, præsertim de pabulo & auena, omnibus in vniuersum subministrari & satisfieri non poterit.

Munitioni Confiniorum Regnicolæ pro viribus non deerunt.

ART. XXVIII.

Ad Confiniorum per suam Cæsaream Maiestatem nominatorum restaurationem munitionemque quod attinet, supra de singulis portis, singuli floreni deputati sunt Vbi autem DEO volente aliquid amplius recuperatum fuerit, non deerunt Status & Ordines, pro suis viribus illis haud dissimiliter muniendis, sed sese tempori & necessitati accommodabunt.

Milites in hybernas Stationes ad Confinia hostibus viciniora, distribuendi.

ART. XXIX.

Vbi sua Maiestas Cæsarea militibus de hybernis Stationibus & vt vocant, Quarterijs hospitiorum, ac Commeatu & pabulo prouidendum censet; videtur Regnicolis, eos in ipsis Confinijs commodè fore distribuendos, in quibus & de hospitio & de Commeatu prouideri poterit, dummodo precium pecunia præsenti exsoluatur. Et sanè distribuendorum eorum commoditas, in Confinijs hosti vicinioribus, eò magis expetenda est, quod ea tueri & defendere poterunt, nec Ciuitates, Oppida, Villas ac miseram plebem, more hactenus solito, prædæ habituri sunt.

Ad sauciatorum & ægrotorum militum curam per Dominos & Nobiles à singulis portis, ex ære proprio ad Cameram Hungaricam, in duobus præmissis terminis, soluendi decem denarij Hungarici, loco Eleemosynæ oblati. ART. XXX.

De arcu

De cura ſauciatorum aut ægrotorum militum, aut exſtruendis ei vſui hoſpitalibus,quod ſua Cæſarea Maieſtas poſtulat: Status & Ordines intelligunt, nec diffitentur,id vtique pium, Chriſtianoque homine dignum videri; ſed quia ipſi ſatis ſuperque multis rebus & oneribus grauati ſunt, quomodo hoc ad effectum deducant, non vident. Exiſtimant autem, in Caſtris publica aliquot, eaque multorum hominum capacia Tentoria adhibenda eſſe; in quibus vulnerati & ægroti milites recipiantur, & adhibitis ſuæ Maieſtatis Medicis & Chyrurgis,curentur. Et cum Status & Ordines ſe ad omnia exequenda inſufficientes agnoſcant: Offerunt nihilominus ad hunc vſum,Eleemoſynæ loco,à ſingulis portis denos nummos Hungaricos, per Dominos & Nobiles, ex ære proprio,præmiſſis duobus terminis,ad Cameram numerandos. Portas non habentes,iuxta conſcientioſam limitationem Vicecomitum in hunc finem contribuant. Ita tamen,vt hæc Eleemoſyna generaliter per omnia Caſtrorum loca, in omnes cuiuscunque ſtatus & conditionis, tàm indigenæ,quàm externæ nationis, in prælio,vel impetu per hoſtes,non autem in rixa & contentione, ſauciatos,bonis modis impendatur.

Vt ſicuti Ciſdanubium fieri conſueuit, ita etiam vltra Danubium, in arcium finitimarum Capitaneos & ſtipendiarios, plenam autoritatem ſupremo Capitaneo, Maieſtas ſua Cæſarea tribuat. ART. XXXI.

Cæterùm Status & Ordines ſuæ Maieſtati ſupplicant, vt ſicuti Ciſdanubium, Capitanei Confiniorum ſupremo Capitaneo Regni ſubſunt & obtemperant, ita fiat etiam Vltradanubium,& dominus ſupremus Capitaneus,earum Vltradanubiarum partium, habeat poteſtatem & autoritatem plenariam, in Capitaneos & ſtipendiarios arcium finitimarum.

Supplicant Status Regni Maieſt: Cæſa: ne Dominum Comitem Georgium de Zrinio, in exercenda in bonis ſuis Dalmaticis,eorumq́ portubus mercatura, moleſtari permittat, ſed locum depoſitionis illi benignè conſeruet.
ART. XXXII.

Dominus Comes de Zrinio,conqueſtus eſt, ſe habere in Dalmatia citra littora Maris Adriatici,certas arces,vt Grobnyk,Bakar & Hrelyn,quibus ipſe,& pater,ac maiores eius cum omnibus vectigalibus,portubus,alijsque pertinentijs liberè vſi ſunt,ſed non ita pridem Officiales & Triceſimatores Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi, in terra Fluminis conſtituti,ipſum moleſtare inceperunt,non permittendo Mercatoribus Venetis, & alijs Italis eò merces aduehere,& eas aut permutare,aut vendere, ſolutis ijs, quæ debent ſolui, cogentes eos illinc ad terram fluminis S. Viti accedere. Imò ſi quos deprehendunt in portubus dicti Domini Comitis Mercaturam exercere, eos varijs modis damnificant. Quas ob violentias, licet Serenisſ: Archiducem Ferdinandum ſe requiſiuiſſe dicit nullum tamen remedium adhibitum. Quapropter Status & Ordines Maieſt: ſuæ Cæſareæ ac Serenisſ: Archid: ſupplicant, dignetur antiquum vſum exercendæ in ſuis portubus mercaturæ,nec non locum depoſitionis dicto Domino Comiti conſeruare,ac Serenisſ:Archid:ſcribere,ne hanc violentiam, quæ etiam limitibus ac fœderibus Regni,ac locis depoſitionum præiudicat, à ſuis hominibus fieri permittat, ac committat dominis Banis,vt ipſum dominum Comitem in ſuis iuſtis iuribus defendat.

Intercedunt Status Regni apud Maieſtatem cæſar: pro Alberto Loniaij, vt ei ablata per Magnificum Chriſtoph: à Teuffenbach bona, reſtituantur.
ART. XXXIII.

Neque diſſimilitèr ſupplicant Maieſtati ſuæ Cæſareæ, ac Serenisſ. Archiduc. Dominis ſuis clementiſſimis, pro ipſorum fratre Alberto Loniaij, qui cum non ita pridem in Tranſiluania bona ſua amiſerit, dominus Teuffenbach, Supremus partium ſuperio-

superiorum Capitaneus, omnia eius bona, in Comitatibus Beregh & Vgocha habita, sine ullo iuris processu occupauit. Dignetur igitur sua Maiestas Cæsarea eadem bona citra aliquam informationem Cameræ, ipsi reddi & restitui mandare. Cùm omnibus Statibus hoc planè constet. Offert autem seidem Albertus Loniaij, se etiam extra terminos Iudiciorum, vel coram Consiliarijs suæ Maiestatis, vel Iudicibus Regni ordinarijs, iuri stare velle & respondere, ijs qui aliqnid contra eum actionis habent. Quam suæ Maiestatis gratiam, Status & Ordines Maiestati suæ fideliter & humiliter reseruient.

Confinij Agrien: necessitatis vt prospiciatur, Status Maiestati suæ Cæsareæ supplicant. ART. XXXIV.

Quoniam autem pertinentiæ Confinij Agriensis, per hæc bella, tùm per Turcas & Tartaros, quàm milites, magna ex parte desolatæ sunt, prouentusq; eius, quibus milites præsidiarij interteneri solebant, multum diminuti dicuntur; Supplicant Status & Ordines, dignetur sua Maiestas, in hoc ancipiti temporis statu, necessitatibus dicti confinij clementèr prouidere.

Vt Illustriss. Princeps Transsyluaniæ, subditos suos, ab occupatione bonorum ditionis Maiest: Cæs: coërcere, & bona è faucibus Turcarum nuper erepta dominis eorum terrestribus restituere velit, per Maiest: Cæs: requirendum, Status humilitèr censent. ART. XXXV.

Illustriss: Transsiluaniæ Princeps omnino requirendus videtur, vt cum subditi ipsius Waradini & in Hurt commorantes plurimas villas in Comitatibus Zabolch, Zathmar, Wgocha & Beregh ac alijs habitas, ad eius ditionem vendicare & occupare nituntur: Et sic non contemnenda summa, ex Dica Maiest: Cæs: ac gratuitis laboribus decedit, velit eos coercere, quia est etiam contra Transactionem cum eo, & prædecessoribus suis factam. Præterea dignetur sua Maiestas Cæsarea, apud ipsum Principem Transsiluaniæ efficere, vt cùm Deo volente arces Lippa, Ianeo, Pankotha, Wilagoswar, & alias è faucibus Turcarum eripuerit, bona ipsa dominis eorum terrestribus restituere velit, Salua suæ Illustrissimæ Dominationis Iurisdictione remanente, iuxta Transactionem anno superiori cum eo factam.

Colonis Sclauonicis liber in Patriam suam reditus, ac Colonorum libera vbiq; migratio, iuxta antiquas Constitutiones concessa.
ART. XXXVI.

Statuunt etiam Regnicolæ, quod Coloni illi, qui è Sclauonia hiscè proximis annis metu Turcarum aufugerunt, iam pacatiori Regni illius statu, per illos Dominos Magnates, ad quorum bona sese receperant, liberè domum reuerti permittantur. Iuxta Constitutiones Anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti. Similitèr & migratio Colonorum sit vbique libera, prout & antea fuit, & seruentur hac in re antiquæ constitutiones superinde editæ.

Nobiles Comitatuum Geómerien: Nogradien: & Hontensis supplicant Maiest: Cæs: vt bona ipsorum Auitica & iure obtenta, circa arcem Filek sita, liberè ipsis possidenda relinquere, eosq; in veteri ipsorum libertate conseruare dignetur. ART. XXXVII.

Cæterùm postquam DEI Optimo Maximo beneficio, arx Filek recuperata est, certa Inquisitio per Commissarios suæ Maiestatis Cæsareæ facta est de bonis diuersorum, circa eam arcem, in Comitatibus Geomeriens: Neogradien. & Honten. existentibus, vnde Nobilitas circumuicina, quæ semper bona sua liberè possidet,

possedit, etiam arce Filek in manibus hostium habita, veretur, ne quid ex hac Inquisitione damni eis redundet. Itaq; suæ Cæs: Maiest. supplicant, dignetur eis bona sua Auitica, tàm quæ antea pacificè possederunt; quàm quæ iure obtinuerunt, quietè & liberè possidenda promittere, ipsosq; Nobiles in veteri sua libertate conseruare.

Iudicia in Comitatibus & foris Spiritualibus, durante bellica expeditione, à Medio Maij, usq; ad medium Nouembris, cessent, & finito bello, iterum statim vbiq; celebrentur.

ART. XXXVIII.

Durante expeditione bellica præsentis anni, incipiendo à decimaquinta die mensis Maij, vsq; ad decimumquintum Nouembris, Iudicia in Comitatibus, etiam de violentijs & nouis occupationibus cessent, sic & in foris Spiritualibus Iudicia cessent. Finito autem bello statim Iudicia vbiq; frequenter celebrentur, & causæ de violentijs & nouis occupationibus bonorum, tàm secularium quàm Ecclesiasticarum personarum, præ cæteris leuentur & discutiantur, iuxta Constitutiones anni Millesimi, QuingentesimiOctogesimi septimi. Per præsentem autem Constitutionem, Articulus tricesimus sextus Anni proximè præteriti, hac de re constitutus, abrogatus & sublatus est, quæ tamen causæ sunt in processu, illæ continuentur. Hoc addito, quod non tantum nouæ violentiæ & occupationes bonorum, sed etiam rerum mobilium quarumlibet, simili modo iudicentur.

Pro collatione integra Abbatiarum Kapornak & Zalauar LudouicoVijlakij, Serenis. Archid: Matthiæ deliberatio & intercessio demissè expetitur.

ART. XXXIX.

De conferendis integrè Ludouico Vijlakij Præposito Castriferrei, Abbatijs Zalawar & Kapornak, dignetur sua Serenitas clementèr deliberare, & apud suam Cæs: Maiest: partes suas pro eo interponere.

Comitatus Zathmar & Zabolch, Articulum anni præteriti de fugitiuis eorum colonis ad Zathmar, executioni demandari supplicant. Status etiam Regni supplicant Maiest: Cæs: vt ipsorum Comitatuum, supplicationem de diuersis grauaminibus oblatam benignè exaudire dignetur. ART. XL.

Supplicant suæ Maiestati Comitatus Zathmar & Zabolch, dignetur Articulum anni elapsi, de fugitiuis eorum colonis, qui Zathmarium ex eorum bonis fugientes, veluti in quodam asylo se ibi continent, in executionem deduci facere, ac committere Clementèr supremoCapitaneo, nec non Prouisori Zathmariensi vt se ei constitutioni accommodent. Status quoq; & Ordines Regni Maiest: suæ Cæs: supplicant, dignetur exaudire supplicationem eorundem Comitatuum Zathmar & Zabolch, de molitione Tritiei ad præsidium Kallo, vi & armis coacta de pascuatione militum, in pratis & hortis miserorum colonorum, de lignorum conuectione & de alijs grauaminibus, quibus indies premuntur & opprimuntur.

Nobiles & Capitanei ac milites, tã interni, quàm externi, in Comitatu Simigiensi existentes ratione occupationis bonorum & violentiarum in Comitatu Zaladien: iudicentur usq; ad dicti Comitatus Simigien: restaurationem.

ART. XLI.

Et quia Comitatus Simigiensis, qui exceptis arcibus Babolchia & Komar, totalitèr sub ditione Turcica est, in ipsoq; Comitatu nulla hactenus, Iudicia celebrata sunt, Nobilesq; & Capitanei ac milites in illis arcibus residentes, tàm interni, quàm externi, vicinis Comitatibus eorumq; incolis, plurimas violentias & damna inferunt, spe impunitatis ducti: Statutum est, vt huiusmodi Nobiles nec non Capitanei, tàm interni, quàm externi, in illis locis residentes, ac alij cuiusuis status & conditionis homines, ratione quarumcunq; violentiarum & occupationum, in bonis durante hoc belli tempore, hacte-

nus patratarum, vel impofterum patrandarum, in præfentiam Vicecomitis & Iudicis Nobilium Comitatus Zaladien. euocari poffint, vbi ibidem Nobiles & alij iuri ftare teneantur, tàm diu donec Comitatus ille Simigienfis reftaurabitur: non obftante eo, quod in alio Comitatu refideant; falua tamen autoritate Domini Comitis Stephani de Bathor, Comitis illius Comitatus Simigien. & hæredum ac poffefforum arcis Babolchia. Quam quidem Iudiciariam deliberationem, Supremus Comes & Vicecomes ac Iudices Nobilium Comitatus Zaladienfis, necnon alias etiam vniuerfas iudiciarias deliberationes, per eos quorum intereft, debitæ executioni demandare teneantur, in rebus tamen bellicis, fint fubiecti Capitaneo fuo ordinario.

Maieftas Cæfarea modum adhibere dignetur, ne Comitatus Caftriferrei & Zaladienfis à militibus opprimantur. ART. XLII.

Conqueruntur etiam Comitatus Caftriferrei & Zaladienfis contra Capitaneum Canifienfem, à quo, & fuis militibus plurima damna, tàm in ablationibus vinorum, quàm aliarum rerum, grauesq; aliàs violentias acceperunt. Sua Maieftas Cæfa: dignetur modum adhibere, ne fideles fui opprimantur, fed illi violenti, per Supremum Regni Capitaneum coërceantur, & damna refundantur.

Violentiæ ac damna ex bonis ad Auftriam impignoratis & præfertim ex Keószegh, Comitatibus Sopronien. & Caftriferrei illata, per generalem Regni Capitaneum & fupremos Comites compefcantur, & captiui vtrinq; dimittantur.
ART. XLIII.

Conqueruntur etiam Comitatus Sopronien. & Caftriferrei, de iniurijs, violentijs, damnis, metarumq; occupationibus, & Nobilium captiuationibus, quas tàm alias plerumq;, quàm etiam fub præfenti Diætâ, ex bonis ad Auftriam oppignoratis, & potiffimum à Domina relicta olim Chriftophori Nadasdij, ex arce Keószegh paffi funt: dignetur fua Maieft: Cæf: modum adhibere, vt per Generalem Capitaneum Regni, & Supremos Comites huiusmodi violentiæ compefcantur, & captiui vtrinq; dimittantur.

Defenfionis Infulæ Challokeoz cura habenda. ART. XLIV.

Dignetur etiam fua Maieft: in defenfionem Infulæ Challokeoz eam habere curam, vt fi milites, qui hac hyeme in illa intertenti funt, abindè receflerint, refiduitas illius, quæ hactenus à rabie hoftili vtcunque defenfa eft, deinceps quoque permanere queat.

Arcis quoq; Petriniæ cuftodiæ & defenfioni maiori militum copia fuccurrendum.
ART. XLV.

Arcis quoque Petriniæ cuftodiæ & defenfioni, ac tam Equitum quàm peditum maiori numero in eam collocandorum & foluendorum, curam fua Cæfar: Maieft: diligentem habere dignetur. Nam ex eo loco conferuando, pars magna permanfionis Sclauoniæ & vicinarum Prouinciarum pendet; & fi, quod Deus auertat, hoftes eam recuperarent, actum de illis foret. Qua de re cum Status Sclauoniæ Serenifs: Archid: Ferdin: fupplicaffent, ad fuam Maieft: Cæf: fuerunt reiecti, quæ eius rei dignetur clementer memor effe.

Damna per exterorum Capitaneorum milites miferæ plebi illata, quomodo cognofci & refundi debeant. ART. XLVI.

De damnis per milites fub Capitaneatu dominorum Hannibalis à Rottenaw, Skriniczky, Krok & Eggenbergh in Sclauonia exiften. & aliorum Capitaneorum exterorum, miferæ plebi & alijs illatis, vbi fua Serenitas fyngraphas eorum produci debere cenfet, vt fic de folutione, quoad fieri poteft, prouideatur: Sciat fua Serenitas nullas datas effe fyngraphas, fed paffim in Comitatibus vbique Inquifitiones

funt

sunt facta anno praeterito. Supplicant Status suae Maiestati dignetur damna ipsa ex Inquisitione peracta, cognoscere, & vel Colonis damnificatis, restitui, vel defalcatis damnis ex eorum stipendio, huiusmodi stipendia ad aedificationem Confiniorum, aut alias suae Maiestatis necessitates conuerti facere.

Reuisio metarum inter Hungariam & Poloniam ac tredecim oppida instituatur.
ART. XLVII.

Comitatus etiam Seepusiensis, Saaros, Lipthouiensis & Trinchiniensis supplicant suae Maiestati Caesareae, vt iuxta continentias publicarum constitutionum differentiae inter Hungariam & Poloniam ac tredecim Oppida, ratione metarum, violentiarumque & damnorum, per Commissarios ante nominatos; vel loco demortuorum denuò nominandos, reuideantur & rectificentur. Qua de re sua Maiestas dignetur Serenissimo Regi Poloniae scribere, quia Poloni indies magis ac magis insolescunt.

Moneta Hungarica Viennae recipiatur, & Nobilibus, in Tricesimis ac teloniis non soluendis, libertas eorum obseruetur.
ART. XLVIII.

Vt moneta Hungarica Viennae sine damno Regnicolarum recipiatur, adhuc Status & Ordines suae Caesareae Maiestati humillimè supplicant. Vtque Nobilibus de non solutione Tricesimarum & Teloniorum, sua antiqua libertas obseruetur, sicuti anteà in multis Constitutionibus est sancitum.

In causis nouarum occupationum aliarumq; violentiarum, Iuramenti in solam personam submissio locum habeat.
ART. XLIX.

Statutum etiam est, vt in causis nouarum occupationum ac aliarum violentiarum, vbi partes testimonia habere non potuerint, vel illis vti noluerint, iuxta leges antiquas Regni, submissio iuramenti in solam personam vtrinque tàm reo scilicet quàm Actori, libera sit & locum habeat.

Salis Nitri extra Regnum & ad hostes clancularia eductio serio prohibetur, & illa poena, quae in exportatores Cupri ad hostes statuta est, in istos quoq; decreta. ART. L.

De Sale nitro, vt fraudes euitentur, atque salis nitri, alioquin Regno necessarij, eductio prohibeatur. Statutum est, vt inquisitio in partibus superioribus instituatur, & in eos, qui authores talis eductionis fuerunt, animaduertatur. De caetero autem, quilibet Regnicolarum, cuiusuis Status & Conditionis, in cuius ditione tale Salnitrum conficitur, tantùm ex eo, quantùm necessitas postulat, ad vsus suae Maiestat. Caesar: competenti precio diuendat. Quod autem residuum erit, illud indigenis & non hostibus, recepta solutione, vendat, aut pro se reseruet, vt hoc potissimum tempore, tàm domini, quàm Nobiles, item Ciuitates, Oppida, Arces & Castella ac milites, coloniqúe eorum pulueres tormentarios habere possint. Aduigilent etiam Tricesimatores; ac alij passuum excubitores, ne Salnitrum ad hostes educere permittant, & si qui clàm euehentes reperti fuerint, capite plectantur. Et quia in constitutionibus anni Millesi: Quingent: Sexagesi: septimi extat certa poena in eos, qui Cuprum ad hostes, conflandorum tormentorum causa, exportant, statuta; Dignum censent, vt eadem poena in eos quoq; statuatur, qui Salnitrum ijsdem clàm deferre voluerint, nisi fuerint ipsis hostibus Tributarij.

De syluis ceduis, Constitutiones anni Sexages: tertij, Artic: 22. expressa, renouantur, ART. LI.

De ſyluis ceduis,ad extruenda fortalitia idoneis, nec non ad vſus Confiniorum & Armamentariorum ſuæ Maieſt: gratuitò ſuppeditandis,renouant Status & Ordines Regni publicas Conſtitutiones anni Milleſ: Quingent: Sexag: tertij Articulo Vigeſimo ſecundo editas.

Molendina in fluuio Grano exiſtentia,ita accommodentur , vt omnis generis nauigia & rates ſurſum & deorſum citra periculum deduci & reduci poſſint,aut diſtrahantur.

ART. LII.

Et quia in fluuio Granenſi multa habentur molendina, aditum ad Ciuitatem Strigonien. impedientia,vel ſaltem difficilem ac periculoſum nauigiorum tranſitum reddentia; id quod ſicuti experientia docuit,munitioni Strigonienſi magno hactenus obſtaculo fuit. Igitur ſtatutum eſt,vt omnes Domini Prælati, Barones,ac alij cuiusuis conditionis homines,eaſdem molas cum ſuis attinentijs ita accommodent, vt omnis generis nauigia & rates,pro aduehenda calce,roboribus & lignis,ac victualibus,alijsq; rebus neceſſarijs,ſurſum & deorſum,citra periculum Strigonium deduci & reduci poſſint. Alioquin Comites aut Vicecomites,aut illis nolentibus aut inſufficientibus,Supremus Capitaneus eiusmodi molendina & obſtacula, ſtatim & de facto diſtrahenda curet.

Victualium ad Confinia ſubminiſtrandorum modus. ART. LIII.

De victualibus ad præſidium Caniſien. per vicinos Comitatus competenti precio ſubminiſtrandis,quæ ſua ſerenitas poſtulat; Status & Ordines Regni intelligunt, ſed in huius præteriti anni ſterilitate quidnam polliceri aut ſubminiſtrare poſſint non vident, nam viciniores Comitatus etiam ad Saarwar, ſiquidem ſuppeteret, de victualibus proſpicere deberent, quod propter anni inopiam fieri nunc nequiuit,quantum tamen fieri poterit, Vicecomites ex vicinis locis,prout fieri poterit, non deerunt. Ad Babolcham vicina loca prouidere poterunt. Quod ſi verò copioſior Annona à Maieſt: Cæſ:eo mittetur,eam poterunt præſidiarij milites,tàm Caniſien. quàm Baijchen & Kapronzen.comitari,quò ſecurior vectura eſſe poſſit, nam Comitatus ad omnia non ſufficiunt. Ad confinium verò Strigonien. vicini Comitatus victualia aduehent; prout Dominus ſupremus Capitaneus cum eis concluſit, pro precio condigno, ne vectores damnum accipiant.

Captiuorum Turcarum dimiſſionis modus. ART. LIV.

Captiuorum Turcarum dimiſſio in Confinijs fiat cum præſcitu Capitaneorum cuiuslibet loci,in dimittendis verò Captiuis Dominorum & Nobilium,extra Confinia habitantium,ſeruetur conſuetudo hactenus ab antiquo obſeruata.

Decimas & Quartas ſoluere recuſantes, citentur in forum ſpirituale, ibiq; ad eas reddendas iure compellantur & Brachio Regali contumaces adigantur.

ART. LV.

Poſtremò,qui dicuntur nonnulli & ſignanter Armales Nobiles, Decimas & Quartas Archiepiſcopatus, & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum,pro ſe vſurpare,aut planè ſoluere recuſare: Statutum eſt,vt tales Armales Nobiles,Decimas & Quartas ſoluere abnuentes,vel etiam alij, qui Decimas ſoluere ex antiqua Regni conſuetudine obligantur,ad inſtantiam vel Adminiſtratoris prouentuum Archiepiſcopatus, vel aliorum, qui Decimæ & Quartæ domini ſunt,non obſtante bellica expeditione, in forum ſpirituale citentur,ibiq; ad reddendas eas iure compellantur. Sua verò Maieſtas Cæſ:in contumaces Brachio ſuo Regio, more antiquitus in foro Eccleſiaſtico obſeruari ſolito, adeſſe velit; & Comitatus etiam latas & ibidem productas ſuperindè ſententias,exequi teneantur.

Status Regni ſupplicant,Triceſimatoribus per ſuam Maieſt: Cæſaream interdici, ne ab Allodiatura Nobilium, alijsq; rebus & mercibus in vſum domeſticum coemptis, vectigal exigant. ART. LVI.

Supplicant suæ Cæs. Maiestat: Status & Ordines Regni, dignetur in Tricesimis interdicere, ne à prouentibus, ex proprijs Allodijs Nobilium personarum prouenientibus, ac ab ijs mercibus & rebus, quas in vsus domesticos sibi coëmunt, vectigal exigatur. Conqueritur enim ipsa Nobilitas, per Tricesimatores nullam hac in re rationem haberi, sed indifferenter ab omnibus mercibus taxam extorqueri, contra Constitutiones & libertates antiquas. Caueantur autem fraudes hoc loco, quæ per Quæstores exerceri solent.

Differentias inter familiam Poky & alios quosdam Nobiles, ratione possessionis Vnd, in prima Comitatus Soproniens: Congregatione, dominus Franciscus Nadasdy reuideat. ART. LVII.

Quia præterea sub præsentibus Comitijs, Inter familiam Poky, & quosdam alios nobiles, ratione possessionis Vnd, in Comitatu Sopronien. habitæ, non leuis Controuersia exorta est: Ne partes ipsæ ad homicidia & patrationes aliorum inconuenientium procedant, Statutum est, vt Supremus Comes, Magnificus dominus Franciscus Nadasdij, præfata bona controuersa, statim ad suas manus, tanquàm sequestres, recipiat. Et vbi primum hinc domum redierit, in prima Congregatione ipsius Comitatus iure reuideat, vtri partium ea bona assignari debeant. Quo cognito, illa statim ei parti assignet, quam magis de iure competere cognitum fuerit. Hæc tamen constitutio de hoc tantum negocio, temporis ratione requirente, intelligatur.

Controuersia inter dominos Dersffij & Comitatus Torna & Geómer, ratione quarundam decimarum, per Cameram Scepusien: & alios Commissarios reuideatur. ART. LVIII.

Supplicant quoque Status & Ordines Regni, velit sua Maiestas controuersiam illam, quæ inter Dominos Dersffij & Comitatus Torna & Geómer, ratione cuiusdam exactionis quarundam decimarum, quas ex proprijs territorijs Nobilium exigunt, agitatur, clementer per cameram Scepusiensem, & alios suæ Maiest: Commissarios ad id deputandos, componi facere.

Intercedunt Status pro Monetarijs, vt Cæs: Maiestas, super illorum supplicatione benignè se resoluere dignetur. ART. LIX.

Supplicant demùm, vt monetarijs ad eorum supplicationem, qua petunt vt impressura Tallerorum non introducatur, sua Maiestas benignè & optatè se resoluere dignetur, ne alioquin ad paupertatem redigantur.

Confœderationis Polonicæ negocium cum Consilio Hungarico tractetur, & concludatur ART. LX.

Vt plenipotentia in personam suæ Maiestatis Cæsareæ & Regiæ directa, ad futuram confœderationis Polonicæ tractationem, Maiestati suæ transmittatur; placet Statibus & Ordinibus Regni, putant tamen consultum & necessarium fore, vt pro informatione facienda, ex gremio Statuum Nuncij speciales in Poloniam expediantur, vel saltem hoc confœderationis negotium, cum consilio Hungarico Pragæ tractetur & concludatur. Quam ad rem nominant Reuerendissimos Dominos, Cancellarium, Dominum Waradiensem, Dominum Vaciensem, Item dominos, Stephanum Hiesharij, Nicolaum Isthuanffij, Franciscum Rewaij, Simonem Forgach, Ioannem Ioo, Personalem præsentiam, & Demetrium Napragij, Præpositum Agrigensem. Ex his & alijs suæ Maiestatis fidelibus, poterit sua Maiestas, quos & quot voluerit eligere. Supplicant autem, vt ijsdem sua Maiestas de sufficientibus & certis expensis prouidere dignetur.

Bartholomæus Pezzen in Hungarum recipitur. ART. LXI.

Postremò, quia Statibus & Ordinibus huius Regni Hungariæ sua Maiestas Cæs: atque Regia,

Regia, dominus eorum clementissimus, Magnificum Dominum Bartholomæum Pezzen, Consiliarium suum Imperialem Aulicum, ob sua merita ac fidelia seruitia, clementi sua intercessione & commendatione, in incolam & membrum eiusdem Regni sui Hungariæ recipi & cooptari voluit. Quare tùm ex eo, vt ijdem Status & Ordines, suum erga suam Maiest: Cæs: atq; Regiam studium, vel hac etiam in re testatum facerent, tùm verò etiam, quod memoratum dominum Bartholomæum Pezzen, iam à plerisq; annis, singulari in hanc Regni Hungariæ Rempub: beneuolentia, ac in promouendis eiusdem negocijs, promptum paratumq; semper fuisse, à fide dignis personis cognouerunt: Eundem in numerum & consortium suum haud difficultèr cooptauerunt, ac superinde solitum iuramentum ab eo receperunt: Sperantes, quòd iuxta præstitum iuramentum, omnia ea faciet & præstabit, quæ tùm in ipso iuramento comprehensa sunt, tum etiam expectatio ipsorum Statuum de eo concepta, iure suo desiderat.

CONCLVSIO.

NOs itaq; præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, ac Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinum, dicti Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, clementèr admissa, prædictos vniuersos & singulos Articulos, nobis vt præmissum est, præsentatos, præsentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolumq; pariter & assensum præbuimus, ac illos & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia, acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus. Offerentes nos clementèr, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & Articulis, tàm nos ipsi obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus: imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Regia Pragensi, vigesima sexta die mensis Martij, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo sexto. Regnorum nostrorum Romani Vigesimo primo, Hungariæ & aliorum Vigesimo quarto, Bohemiæ verò anno similiter Vigesimo primo.

NOs RVDOLPHVS secundus, Dei gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Hungariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, per nos eis ad festum Purificationis Beatissimæ Virg: Mariæ, siuè ad secundum diem, proximè præteriti Mensis Februarij, Anno præsenti Nonagesimo septimo, supra Millesimum & Quingentesimum, indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis medio Serenissimi Principis Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. fratris nostri charissimi, qui scilicet nostra in persona dicto generali Conuentui præfuit, infra scriptos Articulos, in eodem Conuentu, communibus eorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos. Supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos Articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, nostrumq; Regium Consensum illis præbentes, autoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI

ARTICVLI DOMINORVM PRAELATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQ; STATVVM ET ORDINVM REGNI HVNgariæ,partiumq; ei fubiectarum, in generali eorum conuentu, ad Feftum Purificationis Gloriofiff: Virg:Mariæ, Anno Domini, M. D. XCVII. indicto, Pofonijq; celebrato, conclufi.

Status & Ordines Regni pro factis ipfis fpe futura militum licentia auerfionis, tam Maieft: fua Caf: quàm verò futuris belli ducibus,omnia falicia precantur.

ART. I.

QVia Statibus & Ordinibus huius afflicti Regni Hungariæ,tam à facra Cæf: Regiaq; Maieftatis,quàm etiam Sereniffimo Archiduce Matthia,dominis eorum Clementiffimis,certa fpes datur, quòd militum infolentiæ impofterum præcauebuntur Confinijs & Banderijs fuæ Maieftatis, de Hungarico milite profpicietur: Rogant Deum ipfi Status,vt intencio fuæ Maieftatis,Ducumq; futurorum exercituum, optatis rerum fuceffibus,cumulatiffimè comprobetur: ne fi femper ficut captum eft, in oppreffionibus pauperum perfeueretur,defectusq; nunquam emendentur Hungarorum interitus,olim feram vicinis Regnis pœnitentiam fecum afferat,ignemq; in vicini tecto ardentem, extinguere non curaffe,multis perpetuum dolorum & eiulatum importet.

Subfidij loco pro hoc anno, de fingulis decem portu, nouiter rectificandis, ternos equites & totidem pedites humilitèr offerunt, quorum mediam partem, dominus terreftris, alteram autem colonus foluere & intertenere debeat.

ART. II.

Licet autem ficut oftenfum eft, ea fit pauperies harum Regni reliquiarum, vt mirum videri nemini deberet etiam fi nihil eorum,quæ fua Maieftas ab ipfis poftulat præftaretur: perpendentes tamen Status & Ordines neceffitatem,in quam ob rabiem Turcicam pofiti & redacti funt,volentesq; pro fua & patriæ falute, extrema quæq; tentare & facere: Statuunt,vt pro hoc anno, quilibet dominorum Prælatorum, Baronum Magnatumq; & Nobilium, aliorumq; poffeffionatorum,de fingulis decem portis,(propter combuftas &defertas,vel etiam ampliatas poffeffiones in Comitatibus,præfentibus Comitibus,alijsq; potioribus incolis cuiuslibet Comitatus, rectificandis) ternos equites & totidem pedites benè armis inftructos, in campum expediat atq; ftatuat, quorum mediam partem,dominus terreftris,alteram autem partem,colonus foluat & interteneat. Ita vt quilibet Comitatus, pro fua gente peculiarem particularem Capitaneum & Waiuodam nec non vexillum habeat.

Huic oneri ferendo,tàm fuæ Maieft:Cæf: omnia bona, quam verò omnes alij Regnicolæ fubijciuntur. ART. III.

Et huic quidem oneri ferendo, quantum portionem ipforum colonorum concernit, omnia fuæ Maieftatis bona, tàm Ecclefiaftica,quàm fecularia, in quibufcunq; Comitatibus fita,nec non vniuerfi & finguli etiam alij,conftitutione anni Nonagefimi fexti, proximè elapfi,Articulo decimo,& alijs fequentibus in fpecie defignati, atq; fint obnoxij,eo modo & ordine,quo illic eft declaratum,taxandi.

Pœna tripli in eos,qui gentes fuas in bellum non expediuerint, ftatuta.

ART. IV.

Si quis autem gentes fuas præmiffo modo in bellum expedire nollet, aut non curaret,vel eas vfq; ad terminum inferius præfigendum in Caftris non interteneret, aut etiam tempore luftræ non ftatueret, ex tunc pro ratione defectus peditum aut equitum, in triplo conuincatur,ipfaq; pœna eo modo exigatur,quò id in Articulis proximorum duorum annorum, Nonagefimi quinti, & fexti declaratum eft: Si vero contingeret, quòd dominus terreftris, bona præmiffo modo occupata, reoccuparet,ex tunc toties, quoties illa reoccupata per eum fuerint, femper triplum ab eo exigatur,

In præteriti anni transgressores, eadem tripli pœna, per Vicecomites exigenda, decreta.
ART. V.

Et quia anno præterito, ex quorundam Regnicolarum bonis, iuxta constitutiones illius anni, milites expediti non fuere, & neque Dicam impositam ipsi coloni soluerunt. Ideò authoritas datur Vicecomitibus, vt ex ijsdem bonis, propter non missum militem, & non solutam Dicam, triplum exigere possint. Vicecomitibus autem ad id non sufficientibus, continentiæ Articulorum, præcedentium annorum, ea de re editorum, seruentur, & hæ omnes pœnæ ad publicos vsus conuertantur.

Milites diuersorum Comitatuum, sub diuersis etiam Comitatuum Capitaneis, iuxta Articulos anni Nonagesimi quinti militent, & interteneantur.
ART. VI.

Hoc loco præterea renouantur etiam Articuli decimus septimus & decimus octauus, Anni Nonages: quinti, de eo statuti, vt equites & pedites diuersorum Comitatuum, sub diuersis etiam Comitatuum Capitaneis militent, & interteneantur.

Penes Cæsar: Maiestat: vt omnes personaliter insurgant, paucis exceptis.
ART. VII.

Quòd si autem Maiestatem suam Cæsaream atque Regiam ipsammet propria in persona, in hanc expeditionem venire contigerit, tunc omnes domini Prælati Baronesque & Magnates ac Nobiles, more suorum maiorum, penes suam Maiestatem insurgere tenebuntur personalitèr: Decrepitis, infirmis, seruitijs addictis, viduis & bello inhabilibus exceptis, qui loco suo alios idoneos expediant.

Sclauoniæ Regnum, loco Equitum pedites conducat & interteneat.
ART. VIII.

Quantum attinet ad Regnum Sclauoniæ; quia Confinia Colapina, pro custodia vadorum magis peditibus indigent, quàm equitibus: Ideò Sclauonia loco equitum, pedites intertenere & conducere debebit.

Qualitèr milites ab illatione damnorum coërcendi, & quando gentes Comitatuum in campos educi, quomodo in Castris viuere, & quousque ibi durare debeant. ART. IX.

Porrò quoniam animaduersum est, proximis annis nonnullos Dominorum supremorum Regni Capitaneorum, militibus tàm Comitatuum, quàm etiam stipendiariorum plus indulsisse quàm par fuisset, permisisseque vt ad dominorum Nobiliumque bona condescenderent, eaq; pro libitu taxarent & vastarent, atq; impunè spoliarent, seq; gratis à misera plebe sustentari facerent. Vt itaq; miles ab inferendis damnis tanto commodiùs coërceri possit: Renouantur Articuli præcedentium annorum, de his constituti, & statuitur insuper, vt gentes Comitatuum nullatenus domo egrediantur, donec vexilla suæ Maiest: cum eiusdem stipendiario milite Hungaro, in campum per ipsos dominos supremos Capitaneos, educta non fuerint. Quibus in campum eductis, ita tandem etiam Comitatuum gentes statim egrediantur, quibus in castris constitutis, miles quilibet ordinario suo stipendio contentus in villis non circumuagetur, sed in ipsis Castris pecunia & precio viuat, duretq; in campo & Castris sex integros menses, à tempore præsentationis per supremos Regni Capitaneos intimandæ; incipiendo.

Vt gentes Regnicolarum omni tempore Lustrari possint. ART. X.

Et vt certò constare possit, vtrum tam equites, quàm pedites supradicti, iusto & pleno numero, ac tempore in Campum expediantur, & quamdiu in castris perseuerent: Statutum est, vt non modò per Magistros Lustrarum suæ Maiestatis, sed & per Generalem exercituum Ducem, aut eius Locumtenentem, omni tempore lustrari possint.

Quali-

Qualiter de percepta & erogata Contributionis superiorum pecunia annorum, à quibus & per quos ratio exigi debeat. ART. XI.

Præterea vt etiam constare possit, quomodo annis superioribus, pecunia à portis, ac à Nobilibus vnius sessionis, item Armalibus Iudæis, Anabaptistis, Molitoribus, possessionibus non dicatis, ac alijs similibus, in conscriptionem militum, aliosq; publicos vsus deputata, non modò exacta, sed etiam erogata sit: Statutum est, vt superindè tàm à Dicatoribus & Vicecomitibus, ac pecuniarum publicarum, laborumq; gratuitorum, perceptoribus, nec non dominis Deputatarijs, & Iudicibus Nobilium, quàm etiam Cameris & supremis Capitaneis, statim sufficiens & solita ratio exigatur. Ad quam executionem, pro superiori Hungaria nominantur, Reuerendissimus Dominus Chanadiensis, Magnificus dominus Sebastianus Theokeolij, & dominus Nicolaus Zokolij: Pro Comitatibus Cisdanubianis, Reuerendissimus Dominus Episcopus Nitriensis, Magnificus Dominus Michaël Bakith, & Dominus Andreas Oztrosith, vel Dominus Thomas Vizkelethij: Pro Vltradanubianis, Reuerendissimus Dominus Episcopus Vesprimiensis, Dominus Ioannes Ioo, & Dominus Emericus Megierij. Qui prosuperiori Hungaria, ad Oppidum Lelez: in his autem Citradanubianis partibus, Nitriam, Vltradanubianis verò Sabariam conueniant, & cum præfatis Commissarijs siuè exactoribus rationum, quolibet loco sit etiam præsens vnus ex Dominis Consiliarijs Camerarum Hungaricarum, pro suæ Maiest: arbitrio. Ad quorum requisitionem omnes prædicti Officiales, præmissis locis deputatis, ad diem, qui illis per memoratos Commissarios præfixus fuerit, comparere sint obligati, alioquin in perceptis conuincantur. Si quis autem prædictorum Dominorum Commissariorum, ob aliquas impedientes causas, fortè præfatæ exactioni interesse non posset, habeant cæteri præsentes authoritatem, loco talis absentis, aliam idoneam personam eligendi.

Restantiæ pecuniarum quonam danda, quouè conuerti, & quando de illis ratio reddi debeat. ART. XII.

Restantiæ autem si quæ fuerint inuentæ, si fuerint Dicarum laborumq; gratuitorum & taxarum liberarum Ciuitatum, dentur ad Cameram, ita tamen, ne illæ, nisi ad Conuiniorum reparationes conuertantur si autem fuerint alterius sortis, tunc apud manus vnius exactoris maneant, ac illæ etiam cum præscitu suæ Maiest: ad ipsas reparationes locorum finitimorum conuertantur: Super quibus in proximis Regni comitijs, tàm Camera, quàm exactores sufficientem rationem reddant jdem fiat in Sclauonia, coram deputatis eiusdem Regni.

De Confiniorum fortificatione, & misera plebe vltra æquitatem non aggrauanda. ART. XIII.

Quod ad Confiniorum fotificationem attinet, etsi fideles suæ Maiestatis Regnicolæ Hungari non ignorent illas iuxta priorum annorum Constitutiones opera colonorum suorum fieri debere: quia tamen durante hac expeditione, de eiusmodi fortificationibus, vix certi quippiam statuere sciunt: Petunt à sua Maiestate humiliter, vt si contingat miseram plebem ad alicuius confinij ædificationem, vel verò ad commeatus conuectionem necessariò hoc tempore euocari, dignentur Dominis Supremis Regni Capitaneis, alijsq; Officialibus in Confinijs residentibus, seriò committere, ne miseram plebem extra Confiniorum ædificationem & prouisionem, ad suos proprios labores, aut lignorum vel aliarum rerum suarum conuectiones, cogant & compellant, neq; illos vltra vires ad præstandos labores adigant aut indebitè aggrauent.

Castris ab hostilibus Turcis eripiendis, viciniores Comitatus laboribus suis succurrent. ART. XIIII.

Si tamen contingat Castrum aliquod (Deo assistente) è hostium manibus eripi,

viciniores Comitatus, pro rei necessitate, & pro eorum possibilitate, laboribus eis succurrere non omittent, sicut etiam hactenus fecerant.

Sclauonia Petriniam & alia Castella pro posse ædificare curabit.

ART. XV.

Sclauonia verò Petriniam & alia Castella, prout incepit, pro sua possibilitate, ædificare diligenter procurabit.

Sub cuius protectione Petrinia esse debeat, decernendum.

ART. XVI.

Supplicant autem status Sclauoniæ, vt sua Maiestas, cum Serenis: Archiduce Ferdinando statuere dignetur, sub cuius protectione, idem Confinium Petrinia esse debeat, ne alioquin in hostium manus iterum deueniat.

Taxa liberarum Ciuitatum, vt in vsum conducendorum militum conuertatur, & Ciuitatum benigna ratio habeatur, Status Regni suæ Maiest: Cæs: supplicant.

ART. XVII.

Ex taxis liberarum Ciuitatum, sicut anno præterito factum est, milites conducendi erunt: supplicant itaq; Status suæ Maiestati dignetur eas in vsum conducendorum militum deputare, earum tamen benignam rationem habere, ne nimium aggrauentur, vtq; in suis libertatibus conseruentur.

Vt tredecim Oppida Scepusiensia, & reliqua bona Polonis oppignorata, communia Regni onera ferant. ART. XVIII.

Et quia tredecim Scepusiensia Oppida, & reliqua bona Polonis oppignorata, in visceribus huius Regni Hungariæ posita, & non minus quàm cætera suæ Maiest: bona periculo communi subiecta sunt, ideò illa etiam communia onera Regni ferre debebunt.

Ciuitates Sclauoniæ liberæ, taxas suas ad conducendos apud Calapim milites, conuertant. ART. XIX.

Liberæ verò Ciuitates in Sclauonia, taxas earum, ad conductionem militum apud Colapim existentium, conuertant.

Vt super supplicationibus Ciuitatum Montanarum & Monetariorum, Maiestas sua se clementer resoluere dignetur. Status Regni demissè petunt.

ART. XX.

Septem Ciuitates Montanæ conqueruntur se sufficientes non esse ad continuam intertentionem ducentorum militum, quos hactenus in Scechen intertenuerunt Sic & Monetarij maximopere se grauari dicunt, quod sua Maiestas, contra antiquam eorum libertatem, Prelum apud eos introducere velit. Quare supplicant Status & Ordines Regni, dignetur quoq; his de rebus benignè se resoluere, ne etiam hæ Ciuitates aggrauentur, aut in earum libertatibus molestentur.

De militum stipendijs, Articulus Vigesimus anni præteriti seruetur

ART. XXI.

De stipendijs militum, referunt se Regnicolæ ad Articulum anni elapsi vigesimum.

Contra illos, qui ad exteros dominos spe maioris lucri se conferunt, articulus vigesimus secundus anni elapsi, renouatur.

ART. XXII.

Renouant quoq; hoc loco articulum vigesimum secundum, eiusdem anni Nonagesimi sexti, de eorum pœna, qui spe maioris lucri & stipendij, ad exteros dominos se conferunt, sancitum.

De

De liberis Haidonibus, præteritorum annorum articuli similiter renouati.

ART. XXIII.

Sic & Articulus Vigesi: tert: de liberis Haidonibus renouatur, vnà cum anni Nonagesimi quinti Articulis, tricesimò primo, & tricesimo secundo. Dici enim non potest, quantum damni, hoc hominum genus vbiq; inferat, & quantum etiam victoriarum tempore spolijs incumbendò, prosecutionem earundem victoriarum impediat.

Qui insuper sint liberi Haidones, & de pœna eorum; qui posthac tales intertenuerint.

ART. XXIIII.

Liberi autem Haidones, hoc loco ij etiam intelliguntur, qui sub nomine & titulo sernientium, à plerisq; Magnatibus & Nobilibus, in bonis suis habentur & qui ideò saltem intertenentur, vt excursionibus suis, ipsos dominos lactent. Qui sub specie excurrendi in ditiones Turcicas, pecora miserorum colonorum Christianorum abigunt, ipsamq; plebem miserè opprimunt, & perpetuis latrocinijs incumbunt. Si quis dominorum aut Nobilium, aut etiam Capitaneorum, tales latrones in suis bonis scienter posthac intertenuerit, amittat eadem bona, & confiscentur per suam Maiestatem.

De modo & ordine conuectionis victualium in Castra, de precio vecturæ & alijs, & quinam ex Hungaris Præfecti Annonæ in diuersis Regni partibus constituti.

ART. XXV.

Conuectio victualium in Castra admodum necessaria est: nam milites sine victu, officio suo satisfacere non possunt: Vt verò inconuenientiæ illæ, quæ superioribus annis circa rem Annonariam contigerunt, præcaueantur, & defectibus futuris succurratur: Statutum est vt de singulis viginti quinq; portis dicari solitis, singuli currus seu plaustra bona, & labori ac vecturæ apta, administrentur ex singulis Comitatibus, quibus iuncti sint quaterni equi aut sex boues: Pro diurna verò mercede, dominus Generalis Magister Annonæ, in exercitu constitutus, dabit in singulos dies, singulum vnum Tallerum pro vectura, computando ab eo die, quo quisq; Currus victualibus oneratus fuerit, etiam numerando dies illos, quibus ad requisitionem Magistri Victualium, in Castris detentus fuerit. Currus tamen huiusmodi ex Comitatibus non simul & semel, sed per vices administrentur, & domini Magistri victualium curent, ne ineundo ad Castra, vel redeundo molestentur, aut ad vecturam propriarum rerum, vel herbarum, aut lignorum, & similium conuectionem compellantur, sed habita sine precio Schedula à Magistro victualium, ac comitiua militari adhibita, liberum reditum habeant. Si quis verò Aurigarum aut Colonorum, clàm & sine scitu, ac testimonio eiusdem supremi Magistri Annonarij, deserta vectura se subduceret, eadem pœna puniatur, quæ in milites fugitiuos & Castrorum desertores statuta est: Teneatur tamen Magister Annonæ, semper debito modò & tempore, Aurigæ de præscripto Tallero satisfacere, alioquin non sit obligatus seruire. Præfecti autem Annonæ vltra dominum Generalem Magistrum exercituum Annonæ, ex Hungaris sint, dominus Ioannes Ioo, Personalis præsentia suæ Maiestatis, ac Dominus Franciscus Nagymathy: In superioribus partibus Regni, Franciscus Paczot, aut Nicolaus Dengelegij & Caspar Waradij, vltradanubium Stephanus Tarrodij, qui domino Ioanni Ioo ita subsint vt cum ab eo ad instantiam dicti generalis Magistri Annonarij, vel eius vicegerentis, requisiti fuerint, Currus statim pro conuectione Annonæ expediant, & administrent: Idem fiat in Sclauonia, si necessitas postulauerit. Habeat autem dictus Dominus Ioannes Ioo potestatem, loco eorum, qui ob necessarias causas, fortè officio satisfacere non possent, alios idoneos eligendi.

De Salenitro Articulus anni præteriti renouatur, neuè officiales suæ Maiestatis cum Salenitro sibi ipsis quæstum exerceant.

ART. XXVI.

De Salenitro similiter ad Articulum præcedentis anni se referunt, hoc addito, quod Officiales suæ Maiestatis, quæstum cum Salenitro, in proprium commodum ne exerceant, alioquin liberum sit idipsum etiam dominis terrestribus facere.

Vt bona decedentium & aliorum, Fiscus sua Maiestatis Cæsareæ non ui occupare, sed Iuris Regni ordine, Ius suum prosequi debeat.

ART. XXVII.

Conqueruntur Status & Ordines, quod suæ Maiest: Camera, nonnullorum Nobilium, tam eorum, qui in Agriensi obsidione nuper operam nauauerunt, quam aliorũ passim occumbentium & decedentium, aliorumq; in viuis existentium, nomine Fisci, propria quadam authoritate, à possessoribus, successoribusq; ac viduis & pupillis, armata manu, absq; omni Iuris processu occupare inceperit, prout contra contradictionem possessorum, bona etiam Chiapiana, eadem potentiæ via occupauit. Ne igitur posthac istud ipsa Camera attentare audeat, quin, imò bona, quæ prædicto modo occupata sunt, cognita de occupatione rei veritate, sua Maiestas ijs, à quibus illa occupata sunt, reddere, & si quid Iuris in similibus bonis se habere prætendit, id amodo deinceps, iuxta Regni decreta, Iuris ordine prosequi dignetur. Verum Maiestas sua Cæsarea ac Regia super hoc Articulo, tanquam re ponderosa, benignè ulterius deliberabit, & cognita rei veritate, auditisq; Regni sui Hungariæ Consiliarijs, id quod iuris & æquitatis ratio dictabit, clementer statuet.

De pæna res orphanorum & Viduarum Agriensium detinentium.

ART. XXVIII.

Agriensium orphanis & vxoribus, vt res eorum per eos, quibus illæ ad conseruandum datæ fuerunt, fideliter reddantur, statuitur. Non reddentes, pœnam dupli & infamiæ incurrant.

In Agriæ aliorumq; Confiniorum deditores, animaduertendum.

ART. XXIX.

Supplicant autem hoc loco suæ Maiestati Status & Ordines Regni, dignetur in eos animaduertere, qui Agriam, Syrok & alia Confinia Turcis dediderunt.

Confinio Canisiensi de milite, alijsq; necessarijs vt tempestiuè prouideatur.

ART. XXX.

Et quia in conseruatione Confinij Canisiensis, vti omnibus constat, plurimum situm est: Supplicant Status & Ordines Regni, dignetur sua Maiestas loco illi tempestiuè prouidere, tàm de sufficienti milite, quàm etiam alijs necessarijs. Certum enim est, quod si is locus (quod Deus auertat) amissus fuerit, planè omnes etiam proximæ suæ Maiestatis ditiones amittentur.

Castris quoq; Keszeo, Somlio & alijs, ne periclitentur, militibus ac bellicis instrumentis succurrendum. ART. XXXI.

Supplicant etiam ijdem Status, vt Castris etiam Keszeo, Somlio & Symegh, prospiciatur militibus & bellicis instrumentis: Nam & in ijs Confinijs multum positum est. Sic & Strigonio ac Insulæ Chiarlokoëz prouideri debebit, ne periclitentur.

Vt differentias, inter Comitatus Castriferrei & Sopronienses, ac dominam viduam Christophori Nadasdij Vigentes, per Hungaros ac Germanos Commissarios. sua Maiestas reuideri mandare dignetur, Status & Ordines regni supplicant.

ART. XXXII.

Domina vidua Christophori Nadasdij, etsi superioribus annis de eius diuersis violentijs multum sit tractatum per Status & propositum, ac peculiaris etiam Articulus superindè constitutus fuerit, tamen ne nunc quidem cessat, Comi-

Comitatibus Castriferrei & Sopronienſi moleſta eſſe, imò manifeſtè audet dicere & reſpondere ad legitima ſuæ Maieſtatis mandata, quod ipſe Comitatus non benè neq; iuſtè ſuam Maieſtatem de querelis informaſſet. Itaq; petunt à ſua Maieſtate humiliter Status & Ordines, dignetur primo quoq; tempore,certos idoneos Germanicæ & Hungaricæ nationis Commiſſarios deputare, qui differentias incolarum ipſorum Comitatuum, cum eadem domina & ſuis ſubditis habitas, reuideant & executioni demandent, ne alioquin ſimilibus priuatorum negotijs, publica Regni negotia interturbentur & remorentur. Ad quam Commiſsionem peragendam pro parte Hungarorum nominantur, domini Ioannes Ioo de Kazahaza, Perſonalis præſentia ſuæ Maieſtatis, item Ludouicus Wijlakij, Præpoſitus caſtriferrei, Magiſter Valentinus Hetheij, Prothonotarius Palatinalis & Emericus Megierij, qui loco abſentium, alios eligendi poteſtatem habeant, & ipſam Commiſſionem pro Dominica Iubilate,certò peragant.

Commiſsionem inter Poloniam, Morauiam, & Auſtriam, iam dudum inſtitutam, Status Regni executioni demandari demiſſè petunt. ART. XXXIII.

Supplicant præterea ſuæ Maieſtati Status & Ordines Regni, vt Commiſſionem inter Poloniam,Morauiam & Auſtriam,iam dudum inſtitutam,tandem exequi iubere dignetur: Præſertim enim dominus Georgius Horuath de Palochia grauiter conqueritur, ſibi à ſuis vicinis Polonis plurima damna inferri, & multas metas occupari.

Pro rectificatione metarum inter Polonos & Comitatus Saaros & Scepuſienſem controuerſas, noui Commiſſarij ordinantur.
ART. XXXIIII.

Pro rectificatione itaq; metarum, inter ipſos Polonos & Nobiles Comitatuum Saaros & Scepes, Commiſſarij nominantur, Magnificus Dominus Nicolaus Dersffij, Dominus Nicolaus Zokolij, Sigiſmundus aut Franciſcus Paczoth, Gregorius Tyrnauienſis, Chriſtophorus Kubinij, & Magiſter Andreas Kerezthurij, Prothonotarius domini Perſonalis præſentiæ ſuæ Maieſt: qui non obſtante vnius vel alterius abſentia, nihilominus ipſam commiſsionem,& rectificationem metarum cum Polonis Commiſſarijs peragere, & loco etiam abſentium alios eligere poſsint.

De Allodiatura dominorum & Nobilium, alijsq; rebus ad uſum eorum domeſticum comparatis, vt Triceſima aut Telonium non exigatur.
ART. XXXV.

Conqueruntur Status & Ordines Regni, fieri in pleriſq; locis, vt noua Telonia, & nouæ etiam Triceſimæ, paſsim in locis inſolitis erigantur: In quibus diuerſæ exactiones fiunt, etiam de proprijs dominorum & Nobilium Allodiaturis. Quod quia indignum eſt, & multæ retroactis annis hac de re Conſtitutiones editæ ſunt, quibus eiuſmodi exactiones cauentur: ne videlicet de rebus ad vſus domeſticos comparatis, Telonia aut Triceſimæ exigantur. Ideò renouatur Articulus Triceſimus quintus, Anni Septuageſimi quarti, ſuperindè ſancitus.

Comitatus Zathmar & Zabolch, conuectionibus lignorum & molis, ad caſtellum Kallo non cogendi & moleſtandi, ART. XXXVI.

Conqueruntur etiam Comitatus Zathmar & Zabolch, quod etſi aliquoties fuerit iniunctum præteritis annis Capitaneo Calloienſi & etiam illarum partium Generali, ne eos Comitatus ad Caſtellum Kallo, molis & conuectionibus lignorum, contra publicas Regni conſtitutiones ſuperindè editas, ullo modo moleſtarent & cogerent: ijs tamen mandatis hactenus nullus locus datus eſt, ſed etiamnum grauiſsimè eos moleſtant & cogunt. Quarè Statutum eſt, vt tales ſuæ Maieſtatis mandata non obſeruantes, & contra publicas conſtitutiones agentes, iuxta ipſorum demerita, per ſuam Maieſtatem puniantur.

Milites exteri, per certos Commiſſarios, à Comitibus & Vicecomitibus deſignatos, per ſingulos Comitatus deducantur. ART. XXXVII.

Contingit frequentiſsimè ſub his expeditionibus belli, vt cohortibus & turmis exterarum nationum, certi Commiſſarij præficiantur, qui eas ad ſuas ſtationes, & loca eis deſignata deducant. Quorum plurimi propria authoritate, pleriq; verò habitis ſuperindè quorumcunq; literis, paſsim villas & oppida ciuitatesq; taxant, & nonnullas condeſcenſione militum ipſorum, nonnullas autem munerum exactione, aut etiam diuturna detentione eorundem militum, in iiſdem villis, oppidisq; & ciuitatibus aggrauant. Ideò tenebuntur Comites & Vicecomites Comitatuum, in quibus eæ gentes tranſibunt, vnum vel alterum Commiſſarium deſignare, qui eas per ſuum Comitatum deducant.

Capitulum Agrienſe Caſſouiæ reſideat, in executionibus & expeditionibus procedat, pro deperditis, noua ſigilla in minori quàm priùs fuerunt, quantitate, conficiat, ac vt decimarum & quartarum collectio in ſpecie eis concedatur. Status Regni Maieſt: ſuæ Cæſareæ ſupplicant. ART. XXXVIII.

Quia Capitulum Agrienſe, poſt amiſſam Agriam, hactenus locum reſidentiæ non habuit. Ideo interim donec Agria recuperabitur, nominatur ei loco reſidentiæ, Caſſouia, ſaluis tamen libertatibus ipſius ciuitatis permanentibus, & conceditur, vt in executionibus & expeditionibus, non ſecus quàm antea, in propria Diœceſi procedere poſsit. Et quia ſigilla eiuſdem Capituli deperdita ſunt, admittitur ut noua conficiantur in minori quantitate, quàm prius fuerunt, vt futuræ falſificationes præcaueantur. Supplicant autem Status ſuæ Maieſtati, vt ei clementer admittere dignetur, vt ſuas reſiduas decimas & quartas, in ſpecie colligere poſſint, amiſſa maxima parte ſuorum prouentuum, vt habeant, vnde viuere poſsint.

Capitulum Iaurienſe, in executionibus ac expeditionibus in ſua Iuriſdictione & Diœceſi ſicuti antea ita etiam deinceps liberè procedat.
ART. XXXIX.

Statutum quoq; eſt, vt Capitulum etiam Iaurienſe, nunc Sopronij degens, àmodo deinceps, tàm executionibus, quàm expeditionibus, in ſua Iuriſdictione & Diœceſi, liberè ſicut antea procedere poſsit, ſine tamen præiudicio Conuentus B. Michaelis Archangeli de Chorna, & ſaluis remanentibus libertatibus ipſius Ciuitatis Soproniensis.

Conuentus Turoczienſis reſtauratio per Regnicolas demiſſè expetitur.
ART. XL.

Supplicant deinde Status & Ordines, vt ſua Maieſtas Conuentum Eccleſiæ B. Mariæ Virg. de Turocz, propter executiones quotidianas, tandem benignè reſtaurari iubere dignetur. De quo Maieſt: ſua Cæſarea oportuno tempore benignè deliberabit.

Vt militibus Confiniorum de ſolutione maturè prouideatur, ſtatus Regni Maieſt: ſuæ Cæſareæ humiliter ſupplicant. ART XLI.

Inter cætera autem maximopere neceſſaria Regni negotia, vt ſua Maieſtas, militibus in Confinijs, & præſertim Strigonij & Caniſæ, ac etiam in ſuperiori Hungaria exiſtentibus, nec non Banalibus, de eorum ſolutione quamprimùm prouidere dignetur, Status & Ordines Regni, iterum atq; iterum diligentiſſimè & quàm humillimè ſupplicant: ne alioquin dilabantur, & ob eorum defectum ipſa Confinia extremè periclitentur.

Ad cognoſcendas & componendas violentias, quibus diuerſi Regnicolæ à Ioanne Tapolchianij afficiuntur, Commiſſarij per ſuam Maieſtatem delegentur. ART. XLII.

Item

Item sunt pleriq; ex Regnicolis, singnater verò Ordo Fratrum Eremitarum,& Moniales de Insula Leporum, qui contra Ioannem Tapolchianij plurimum conqueruntur, quod eos contra iura & Leges Regni, diuersis iniuriam generibus afficiat, metasq; & bona eorum violenter occupet. Quare supplicant suæ Maiestati Status, vt Commissarios delegare dignetur, qui eas violentias cognoscant, & componant prout poterunt.

Negotium Michaëlis Chabij & Gregorij Nagij per Iudices Hungaros reuideri, Status Regni demissè petunt ART. XLIII.

Vxores etiam Michaëlis Chabij, & Gregorij Nagij maximoperè conqueruntur, quod Capitaneus Ouariensis, ad cuiusdam malefici fasionem, ipsos earum maritos, iam à multo tempore in dirissimis vinculis detinet, imò etiam torturis subijcere ausus est, antequam Iuris ordine conuincerentur, causam autem eorum, nunc more militiæ Germanicæ reuideri facere velit, contra manifestas huius Regni Hungariæ libertates. Vt itaq; suspicio, quæ vltro citroq; ex Iuris administratione, contra præfatos Michaelem Chabij & Gregorium Nagij instituenda, oriri posset, præcaueatur: censent Status & Ordines Regni, eorundem negocium & causam, medio Iudicum Hungarorum iudicari debere. Nam & antea obseruatum fuit, quòd Hungarus per Hungaros tantum, Germanus autem per Germanos tantum Iudices, iudicaretur.

De Vicecomitis Comitatus Saaros detentione, & militum in bona Vicecomitum & Nobilium condescensione, vt Maiestas sua Cæsarea re cognita, in reos animaduertere dignetur, Status Regni supplicant. ART. XLIIII.

Quàm grauiter sit conquestum per Status & Ordines Regni, in eo, quod Dominus de Teuffenbach, superiori anno Vicecomitem Comitatus Saaros, Stephanum Sos, in vinculis detinuerit, ac prætereà, quod miles in Vicecomitum aliorumq; Nobilium bona, & curias Nobilitares violenter condescendere consueuerit, nouit iam sua Maiestas Cæsarea: Supplicant itaq; iidem Status, ne sua Maiestas, (re cognita) partem ream impunitam relinquere dignetur.

Vt viæ Regiæ ac publicæ, in quolibet Comitatu ad iustam mensuram dilatentur. ART. XLV.

Item Statutum est, vt vias Regias ac publicas, qua negociatores cum suis animalibus transeunt, Comites & Vicecomites, in quolibet Comitatu, primo quoq; tempore, ad iustam mensuram & quantitatem dilatare teneantur.

Particularia Conuenticula post absolutam Generalem Diætam, seriò interdicuntur. ART. XLVI.

Postremò, quia sæpenumerò accidit, quod Regnicolæ de Comitijs domum discedentes, proprio motu, aut aliorum suggestione, alijsq; decausis, supremos Capitaneos, ad facienda particularia Conuenticula inducunt, in quibus ea, quæ in ipsis Comitijs publicò suffragio statuta fuerunt, non modo interrumpere satagunt, sed etiam contraria eis constitui debere, enituntur. Quapropter statutum est, vt à modo imposterum, talia Conuenticula, contra publicas Constitutiones fienda, non habeantur neq; vllus ad ea proficisci audeat, neq; teneatur. Contrarium facientes, in pœna Articulo primo, Decreti quinti Ladislai Regis, Anno Millesimo Quingentesimo quarto editi, expresso, conuincantur.

CONCLVSIO.

NOs itaq; præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Hungariæ, & partium ei subiectarum, clementer admissa, prædictos

vniuersos & singulos Articulos, nobis vt præmissum est, præsentatos, præsentibusq; literis nostris de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta (solis decimo tertio, vigesimo septimo, & Quadragesimo, Articulis exceptis, qui pro præsentis temporis statu, necessaria correctione & resolutione nostra indiguerunt) ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolumq; pariter & assensum præbuimus, ac illos, & quæuis in eis contenta, prout superius ordine inscripti & inserta sunt, autoritate nostra Regia acceeptauimus, approbauimus, roborauimus & confirmauimus. Offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tám nos ipsi obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, inuiolabiter obseruari faciemus: Imò acceptamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Regia Pragensi, sexta die Mensis Maij, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo septimo Regnorum nostrorum, Romani vigesimo secundo, Hungariæ & aliorum vigesimo quinto, Bohemiæ verò anno similiter vigesimo secundo.

NOS RVDOLPHVS secundus Dei gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Vngariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, per nos eis ad Festum Conuersionis B. Pauli Apostoli, siue ad vigesimum quintum diem proximi præteriti mensis Ianuarij, Anno domini præsenti, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo octauo, indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis, medio Reuerendissimi ac Serenissimi Principis Maximiliani, Archiducis Austriæ, Administratoris magni Magistratus Prussiæ, ac Magistri ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam, Comitis Habspurgij & Tyrolis &c. Fratris nostri charissimi, qui scilicet nostra in persona, dicto generali conuentui præfuit, infrascriptos Articulos, in eadem congregatione, communibus ipsorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos: Supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos Articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum illis præbentes, autoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE STATVVM ET ORdinum Regni Hungariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, ad Festum Conuersionis B. Pauli Apostoli, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo Octauo indicto, Posonijq; celebrato, conclusi.

Præfatio, in qua Status & Ordines Regni, pro ipsorum defensione, Maiestati suæ Cæsareæ humiliter gratias agunt. ART. I.

QVod sacra Cæsarea atq; Regia Maiestas Dominus noster clementissimus, tàm anno præterito, quam etiam alijs præcedentibus, nulli studio, neq; curæ atq; sollicitudini pepercerit, vt sinistri potentissimi hostis conatus reprimerentur, Status & Ordines huius Regni Hungariæ non ignorant. Quam suæ Maiest; vigilantiam & promptitudinem,

ptitudinem, Deus opt: Max: procul dubio pro sua benignitate & munificentia abundè remunerare dignabitur. Petunt verò humiliter suam Maiestatem fideles Status, vt sicuti hactenus pro Republi: Christiana diligenter semper aduigilauit, in eosdem hostis conatus, ita idipsum nunc quoq; præsenti rumore aduentus Turcici Imperatoris mota, maiori qua potest solertia & cura facere non intermittat, imò tandem ipsamet etiam, si vllo modo fieri poterit, in medium suorum fidelium se conferat, ac præiens tàm ipsius hostis moliminibus occurrat, quàm etiam infinitis, quibus opprimuntur, regnicolarum calamitatibus medeatur: vt hoc pacto, & quæ publicis Comitijs sanciuntur, rata semper haberi possint, & quæ de cætero ad Regni defensionem pertinent, tanto felicius progredi, ipsiq; Status alacriori animo pro patria atq; sua Maiestate pugnare queant.

Vt partibus Regni superioribus, de Supremo Capitaneo prouideatur.
ART. II.

Quod verò in defendenda patria, præstandisq; viribus, ipsorum Hungarorum partes concernit: Credat sua Maiestas, quod hæ Hungariæ reliquiæ, nihil penitus eorum prætermiserunt, quæ permansioni suæ conducere visa sunt. Nam & militem, publicis decretis oblatum, in promptu semper habuerunt, & ad omnes supremorum Capitaneorum requisitiones, eo, quo possibile fuit, modo & ordine insurrexerunt, & periclitanti patriæ subuenerunt, & omnibus conflictibus præsentes fuerunt, sicut id multorum præcipuorum virorum Nobilium interitus luculenter ostendit. Quod & imposterum pro eorum possibilitate facere non detrectant, cùm amore patriæ, tùm etiam necessitate requirente. Verùm supplicant hoc loco suæ Maiestati Status & Ordines, dignetur iuxta benignissimas suas oblationes, præteritis annis factas, superiori Hungariæ, hoc tempore supremum Capitaneum non habenti, ita prouidere, vt querelæ illorum regnicolarum tandem cessent, neq; sua Maiestas, toties de supremo Capitaneo Hungaro illic constituendo, querelas cum molestia audire cogatur. Censent enim Status, quod sicut in his inferioribus regni partibus hæc officia Hungaris concredita sunt, ita illic etiam nihil minus Hungaris concredi possint.

Conqueruntur de militum insolentia, sperantq; Regnicolæ, quod Maiest: sua Cæsarea illam coërcebit. ART. III.

Supplicant quoq; Status, ne patiatur sua Maiestas, licentiam militarem in immensum crescere. Quàm enim graues iniuriæ & oppressiones omnium Ordinum fiant, passim in regno à Milite, dici non potest. Quæ cum eiusmodi sint, vt necessario tolli & emendari debeant, spes est statibus firmissima, quod sua Maiest: omnino efficiat, vt imposterum diligenter caueantur, eaq; effrenis militum omnis ordinis licentia, qua fideles sui opprimuntur, ita coërcebitur, vt deinceps quisq; tutus & quietus esse, ac ipsa publica munia liberè semper præstare possit. Alioquin enim, etsi hosti obuiare, eiusq; proteruiam reprimere, quàm maximè enitamur omnes, intestinis tamen peccatis & malitijs laborantes, Deiq; in nos iram prouocantes, fieri non potest, vt benè & rectè ac optatè nostri conatus succedant.

Subsidium vnius floreni Hungarici de singulis domibus, in duobus terminis exigendum offertur. ART. IIII.

Ad contributionem autem & subsidium, ac exercituationem præsentis Anni, quod attinet. Licet præcedentium annorum bellis & militum licentijs & vexationibus, immensisq; calamitatibus & cladibus, in hoc regno non subditi tantum, sed etiam domini terrestres, quasi ad extremam paupertatem deuenerint, visa tamen & considerata præsenti necessitate: Offerunt Status suæ Maiest: de singulis domibus, tàm colonicalibus, quàm Inquilinarijs, alijsq; in modum Curiarum Nobilitarium non extructis, quæ videlicet habitatores habere comperientur, passim in oppidis, villisq;, tàm suæ Maiestatis, quàm aliorum quorumcunq; dominorum, Spiritualium & secularium, possessio-

possessionatorum & sessionatorum, omnium: Item prædialium, libertinorum, Ruthenorum, Valachorum, & aliorum pagorum hactenus non dicatorum, connumerandis, demptis tamen allodijs, nec non domibus Iudicum, Scholis, Xenodochijs, tabernis, in quibus vina dominorum educillantur, mendicorum ac miserabilium personarum, ex Eleemosynis viuentium, singulos centum denarios Hungaricos, duobus terminis, videlicet pro dimidia parte, ad festum diui Georgij iam affuturum, pro reliqua verò, ad Natiuitatem S. Ioan. Baptistæ, exigendos, & ad manus suæ Maiestatis numerandos: ea discretione, vt coloni & inquilini ditiores, subleuent pauperiores, eo modo, quo inter illos hactenus consuetum fuit. Quæ quidem domorum connumeratio & contributio, etsi hactenus in Hungaria in vsu nunquam fuerit, vt tamen maius, quàm vnquam antea subsidium, pro bello consequendo, haberetur, illam fideles suæ Maiestatis pro hoc anno emittere voluerunt; saluis eorum antiquis libertatibus & consuetudinibus permanentibus, vt videlicet hæc domorum connumeratio posthac nullo unquam tempore in vsum veniat.

Domini terrestres dimidium florenum Hungaricum contribuere, & loco pecuniæ, equites benè armis instructos, in bellum expedire debent.

ART. V.

Præterea vno floreno supra declarato, & per colonos contribuendo, superaddet etiam quilibet dominorum terrestrium, quinquaginta denarios Hungaricos; ita tamen, vt loco pecuniæ, equites benè armis instructi, viriq; maturi ac non pueri (alioquin pro non missis habeantur) in bellum expediantur, qui in singulis Comitatibus suos Capitaneos & sua vexilla habeant, sintq; semper pleno numero in Castris, ac subsint supremis regni Capitaneis ad omnes belli necessitates, non secus ac cæteri suæ Maiestatis stipendiarij milites, qui ex Castris per ipsorum dominos nullo modo educantur, nec absq; scitu ipsorum supremorum Capitaneorum, huc illucq; distrahantur, aut à vexillo eorundem, ullomodo abducantur, etiam tempore generalis insurrectionis, de qua inferius dicetur.

Contributionis huius exigendorum equitum, modus. ART. VI.

Quorum quidem equitum numerus, vt certus esse possit, teneatur cuiuslibet Comitatus Comes & Vicecomes, huius contributionis equites in specie, tàm à dominis, quàm Nobilibus exigere, ac assignato ad manus supremorum Capitaneorum Regesto, milites in Castra expedire. Quos ijdem supremi Capitanei, & suæ Maiest: Lustrarum Magistri, semper lustrandi facultatem habeant, nec admittant tempore lustræ, nisi quos idoneos esse existimauerint.

De pœna eorum, qui equites contributionis in Castra non miserint, & ad terminum præfixum non intertenuerint, deq; salario equitum.

ART. VII.

Ne verò fraus ulla committatur in intertentione huiusmodi equitum: Statutum est, vt quicunq; dominorum vel Nobilium, iuxta præmissam domorum connumerationem, eosdem equites ad Lustram debito tempore non miserit, vel postea exercitu suæ Maiestatis in campo existente, continuè à primo die Mensis Iunij, vsq; ad vltimum Nouembris, in castris pleno numero non intertenuerit, vel indè distraxerit & reuocauerit, ex tunc ipse Comes vel Vicecomes, hunc defectum ex proprio refundere teneatur: habeat autem idem Comes authoritatem, bona eiusmodi militem non statuentis, defacto occupandi, & tam diu possidendi, donec sextuplum ex illis exigatur. Non sufficientibus verò Comitibus vel Vicecomitibus ad occupandum, vniuersus Comitatus teneatur insurgere, iis etiam insufficientibus, supremi Capitanei sint auxilio. Horum præterea equitum Salarium, propterea quod tantum ad sex menses conducantur, sex florenos non excedat, plus accipiens, eo facto infamis reddatur, ac si Supremo Capitaneo talis plus accipiens delatus fuerit, per eundem capite plectatur.

Modus

Modus procedendi in connumeratione domorum. ART. VIII.

Porro ad connumerationem præfatarum domorum, Statutum est, vt sua Maiestas in quemlibet Comitatum, vnum Dicatorem, in eodem Comitatu possessionatum expediat, cui quilibet Comitatus, Iudicem Nobilium,& vnum potiorem Nobilem adiungat,hicq; simul omnes in Comitatu iuramento obstringantur suæ Maiestati, quod nullo nec odio,nec fauore,nec timore, sed fideliter ipsam connumerationem peragent.

Contributionis pecunia cui assignanda, & quo conuertenda sit.
ART. IX.

Qua connumeratione peracta, Regestoq; per easdem tres personas confecto, præmissum vnum florenum colonorum, Dicator diligenter exigat, & ad manus suæ Maiestatis assignet, quam pecuniam exactam, sua Maiestas in nullos alienos vsus,quam militum Hungarorum, pro campestri huius anni exercitu nouam conscriptionem, conuertat.

Quibus asseruatio & erogatio huius pecuniæ concredi debeat.
ART. X.

Ad cuius quidem pecuniæ asseruationem & erogationem,per suam Maiestatem, cum consilio Hungarorum Consiliariorum duo Commissarij Hungari nominabuntur & ordinabuntur, vnus ex Prælatis aut Magnatibus, alter verò ex Nobilibus, sine quorum scitu,nihil de præmissa pecunia erogari debeat ac ijdem Commissarij, Lustrationi etiam & solutioni præfatorum militum personaliter intersint.

Pœna domini terrestris, Dicatorem ad connumerationem domorum,& exactionem subsidij non admittentis, & vt Dicatores seriorem agant.
ART. XI.

Quod si autem sit quispiam dominorum terrestrium,qui Dicatorem in villas ac oppida sua, ad connumerationem domorum, vel etiam exactionem huiusmodi subsidij admittere nollet, conuincatur talis in pœna tripli,& procedatur contra eum,iuxta constitutiones publicas proximorum Annorum, Nonagesimi sexti & septimi. Necessarium autem est, vt Dicatores seriò rem agant,& non leniter, neq; quorumcunq; minas vel subterfugia curent, nec se patiantur facilè à suo officio dimoueri.

Domorum connumeratio statim absoluta Diæta peragenda.
ART. XII.

Statutum præterea est, vt præfata domorum connumeratio,statim finitis Comitijs peragatur non expectata confirmatione præsentium Articulorum: pecunia tamen non exigatur prius, quàm confirmatis ipsis Articulis,quam sua Maiestas clementer maturare dignetur.

Coloni Turcis subiecti quantum soluant. ART. XIII.

Coloni Turcis subiecti, more consueto dimidium soluent.

De numero domorum cuiuslibet loci, Iudici Schedula gratis danda.
ART. XIIII.

Et vt coloni, eorumq; domini terrestres scire possint, quomodo & quantum vbiq; contribuere & præstare debeant tres eæ personæ suprascriptæ, quæ ipsam Connumerationem peragant, in qualibet villa ac Oppido & loco, Schedulam Iudici de domorum numero gratis assignabunt.

De modo taxandi Ecclesiasticos, Nobiles, Sessionatos, Armales & alias diuersas personas, Articulus decimus Anni Nonagesi. sexti renouatus.
ART. XV.

Renouatur verò hoc loco Articulus decimus, Constitutionũ publicarũ Anni vigesimi sexti, vt nimirũ Nobiles quoq; Sessionati, inquilinos non habetes, itẽ Armales, passim

in Ciuitatibus & Villis ac Oppidis habitantes, Molitores proprias molas habentes,& in ſerie aliorum Colonorum non habitantes, item Anabaptiſtæ,Iudæi,plebani & Concionatores, non poſſeſſionati, ligni ſectores,& Carbonarij, in ſerie Villarum domos non habentes,item Abbates,præpoſiti,altarium,& CapellarumRectores,Archidiaconi,Capitula & alij,Beneficia,Decimaſq;,Nonas,Quartas,& Sedecimas percipientes, non poſſeſsionati,eo modo, quo in ipſo Articulo continetur,taxentur. Quæ etiam pecunia,reliquo ſubſidio equeſtri per Comitatum adiungatur.

Maieſtas Cæſarea ex Contributione Regni pro ſuo arbitrio milites & Capitaneos Vngaros nouiter conducere poteſt. ART. XVI.

Conceditur præterea vt ſua Maieſtas ex præmiſſa contributione, pro ſuo arbitrio, & equitem & peditem, & Capitaneos alioſq; belli Officiales nouiter conducere & conſcribere poſsit, dummodo ſint Vngari, & poſt generalem belli Ducem, ſupremis ſuæ Maieſtatis Vngaris Capitaneis ſubiecti ſint.

De ijs, qui militem non expediuerunt, & Contributiones non ſoluerunt, Vicecomitibus in officio exactionis non procedentibus, puniendis Articuli præteritorum proximè annorum renouati. ART. XVII.

Item renouatur Articulus quintus anni proximè elapſi, Nonageſimi ſeptimi, de ijs, quo militem non expediuerunt, vel impoſitas contributiones non ſoluerunt, vt nimirum à talibus triplum exigatur, vel pecuniæ indè collectæ, ad ædificia confiniorum conuertantur Vicecomites autem ſuum officium circa hanc exactionem non facientes, puniantur iuxta Art: decimum quintum. Conſtitutionum publi: Anni Nonageſi: ſexti.

De ſtipendio militari, & alijs ad modum exercituandi pertinentibus. ART. XVIII.

De ſtipendio militari, & de ſeruitorum ad Luſtram proficiſcentium fraude, nec non alijs quæ modum exercituandi concernunt, ſignanter etiam de ijs, qui ad externorum Dominorum ſeruitia ſe conferunt, referunt ſe ſtatus ad Articulos annorum Nonageſimi quinti, ſexti,& Nonageſimi ſeptimi. Dignetur autem ſuæ Maieſtas Dominis Capitaneis germanis, nunc ſtatim ſerio committere, ne Hungaros conducant,& in ordines ſuos germanicos recipiant, conductos autem & receptos, confeſtim dimittant.

Vt ratio à Perceptoribus, & alijs qui Regni prouentus adminiſtrarunt, exigatur. ART. XIX.

Ratio per perſonas à ſtatibus anno præterito deputatos, à Perceptoribus, nec non Deputatarijs,& Iudicibus Nobilium, Item Vicecomitibus, Cameris, & ſupremis Capitaneis alijſq; qui prouentus Regni adminiſtrarunt, primoquoq; tempore exigatur, ac tàm hæ, quàm reſtantiæ pecuniæ pro Sauciatis deputatæ, diligenter colligantur, collectæq;, ad ædificationem Confiniorum conuertantur.

Quomodo in generali inſurrectione procedendum ſit. ART. XX.

Quod ad inſurrectionem generalem attinet Statutum eſt: quod ſi neceſsitate poſtulante, ſuam Maieſt: Cæſ: atq; Regiam, perſonaliter in Caſtra ſeſe conferre contingat, vel propter aduentum Principis Turcarum aut eiuſdem exercitum, vis maior ingruat, vt cum eo confligendum ſit, ſeu ab ipſo hoſte, in Regno vel vicinis ſuæ Maieſtatis ditionibus, obſidione cinctum, præcipuum fortalitium propugnandum ſit: ex tunc ſub pœna amiſsionis bonorum, communi æſtimatione redimendorum teneantur ſtatus atq; Ordines Regni perſonaliter inſurgere, ac meliori & maiori, quo poterunt apparatu,& numero, unum integrum Menſem ab eo die, quo Caſtra ingreſsi fuerint, inchoando, militare. Cuius quidem generalis inſurrectionis intimatio, fiet ad mandatum Cæſareæ ac Regiæ Maieſtatis, vel ſuæ Serenitatis, aut generalis belli Ducis, per ſupremos huius Regni Capitaneos tempeſtiuè. Poſtulant tamen, per Dominos ſupremos Capitaneos,

taneos, ac generalem belli Ducem in hac insurrectionis forma obseruari, ut ad remotiora loca ipsos Regnicolas ita abducant, ne dum ipsi procul, à suis sedibus absunt, interea domi miles damna inferat, vel hostis excursione facta, depopulationes faciat verùm in casibus præmissis, potissimum eorum opera, & insurrectione vtantur, qui Castris Turcicis propinquiores erunt.

Cautio Regnicolarum de hac generali insurrectione.
ART. XXI.

Cautum præterea esse uolunt status, nè præsens statutum de generali insurrectione annuentia in vsum vllo unquam tempore veniat, sed ea pro præsenti tantum vice & anno, facta esse intelligatur.

Qui, præter Status Regni, & sub qua pœna, tempore generalis insurrectionis insurgere tenentur. ART. XXII.

Tempore verò huiusmodi generalis insurrectionis, vnius quoq; Sessionis & armales Nobiles insurgere teneantur, Sessionati quidem sub prædicta amissione Bonorum, communi æstimatione redimendorum, Armales autem, Nobilitatis. Decrepiti tamen, nec non infirmi, seruitijs addicti, viduæ & bello inhabiles, suo loco semper alios idoneos expediant.

De ratione & modo statuendo in conuectione victualium.
ART. XXIII.

De victualibus ad Castra conuehendis, in quolibet Comitatu qua ratione & quomodo illa conuehi debeant, quamprimum limitetur, ac vt in promptu habeantur, seriò procuretur. Vicecomites autem ad requisitionem Annonæ, Magistri Hungari, ea, quæ limitabuntur, sine mora & defectu præstari curare teneantur.

Vectoribus Victualium vt securum iter pateat, & iustum pretium soluatur.
ART. XXIIII.

Vt verò Vectoribus victualium, ad Castra euntibus & indè redeuntibus, securum semper iter pateat, & debitum iustumq; pretium soluatur, sua Maiestas, nec non generalis belli Dux, debitam curam atq; prouisionem adhibeat, ne alioquin ipsa victualia deficiant.

Externorum militum ad stationem deducendorum modus. ART. XXV.

Pro deducendis equestribus & pedestribus militum externorum Copijs, ad stationes, & loca eis designata, Camera Vngarica de idoneis Commissarijs prouideat, qui ipsos milites non aliò quam eo itinere ducant, quod supremi Capitanei præscribent.

De Curribus, equis, & alijs ad rem Annonariam pertinentibus, Articulus Vigesimus quintus Anni præteriti renouatur, de q. stipendio Annonario Vngarico constituendo. ART. XXVI.

De currubus, equis & Iumentis, pro conuectione Victualium, Tormentorum, & aliorum instrumentorum bellicorum suppeditandis, & mercede ijsdem soluenda, Annonarijs etiam Vngaricis per suam Maiestatem conducendis, qui germano annonæ Magistro, Castris præsertim à Danubio remotis, assistunt, Art: vigesimo quinto, anno proximè elapso, Nonagesimo septimo, ea de re edito, inhæretur, simulq; dictis annonæ Magistris Vngaris, ex subsidio Statuum conueniens stipendium constituatur.

Canisiensi alijsq; præsidijs qua ratione de victualibus prospici possit. XXVII.

Vt Canisiensi confinio, alijsq; suæ Maiestatis præsidijs, rectè & commodè de victualibus prospici possit, necessarium omninò est, vt diligenter caueatur, ne villæ more consueto milit distribuantur, & ne coloni impositionibus, contributionum ac seruitiorum aggrauentur, ac ne etiam miles è statione sua ad prædandum exeat, Vectores porrò non frustrentur, ac iustum precium Victualium persoluatur.

Ad Confiniorum ædificationes, de qualibet porta, sex dierum labores pro hoc anno decreti. ART. XXVIII.

Ad ædificationes confiniorum Statutum est; vt de qualibet porta anno præterito connumerata hoc anno sex dierum gratuiti labores præstentur; quorum distributionem sua Maiestas ex consilio faciet suorum Vngarorum Consiliariorum, præsertim autem Dominorum supremorum Regni Capitaneorum.

De modo exterminandi liberos Haidones. ART. XXIX.

Ad exterminandos liberos Haidones, præcedentium annorum constitutionibus insistitur, simulq; seriò cauetur, vt illos non tantum Hungari, sed nec Germani etiam Capitanei tenere audeant, secus facientes, in notam infidelitatis incurrant, liberumq; sit cuiuis hominum, istos Haidones sub cuiuscunq; nominis prætextu pallantes, vbicunq; locorum deprehensi fuerint, tàm in Hungarico, quàm in germanico territorio, impunè interficere. Integrum tamen illis sit, ad futuram expeditionem militiæ campestri nomina dare, & stipendia mereri. Id si qui facere noluerint, & suo more pallantes inventi fuerint, contra eos, eo quo præscriptum est modo procedatur,

Reparatio viarum publicarum Vicecomitibus demandata. ART. XXX.

Viarum public: reparationem, vt Vicecomites diligenter curent, necessarium est, id impedientes, aut non curantes, puniantur, iuxta Articulos publicarum Constitutionum, Annorum præteritorum.

De pœna militum & seruitorum à Capitaneis suis auffugientium. ART. XXXI.

De ijs militibus & seruitoribus, qui relictis Vexillis à Capitaneis suis auffugiunt, & domum redeunt: statutum est, vt ad requisitionem Capitaneorum Vicecomites eiusmodi personas, siuè sint Nobiles, siuè ignobiles, confestim capere, & manibus dictorum Capitaneorum pro infligenda pœna tradere teneantur Vicecomitibus verò ad Capiendum non sufficientibus Comites, aut etiam ipsimet Comitatus auxilium ferant. In reditu autem eosdem fugitiuos homines, per Iudices etiam, in Villis & Oppidis quibuslibet, intercipere sit liberum.

De Decimis & quartis Capitulo Agrien: non adimendis. ART. XXXII.

Vt Decimæ & quartæ Capituli Agriensis adimantur, non videtur consultum esse. Amissis enim alijs bonis, ij sacerdotes aliundè viuere non habent: nisi ex ijs decimis & quartis. Quarè supplicant Status suæ Maiestati vt ita hoc negotium cum ipso Capitulo tractet atq; agat, vt iustam dolendi aut conquerendi causam non habeant,

De Regni Sclauoniæ Auxilijs, deq; Reditu colonorum ad campum Turopoliensem & alia loca, ac de pœna eos detinentis. ART. XXXIII.

Sclauonia in sui defensionem pro sua possibilitate per domos feret auxilia, pro sua veteri consuetudine, & ibi quoq; tàm de Haidonibus, quàm de exercitiandi modo, supra constituti Articuli seruentur. Coloni præterea è Campo Turopoliensi, necnon ripa Saui, Colapis & aliis partibus, propter Turcarum metum, his disturbiorum temporibus profugientes, liberè redire possint, si voluerint. Si quis autem Dominorum aut Nobilium, aut etiam Ciuium eis viam redeundi præcluderet, tales coloni, modo & ordine fugitiuorum colonorum, in Articulis Anni Millesimi, Quingentesimi, Quinquagesimi sexti expresso, repeti possint, non dimittens eandem pœnam incurrat quam fugitiuum colonum detinens.

Vicecomiti Mosoniensi circa Contributiones & Iuridicas executiones in bonis Ouuariensibus procedendi facultas data. ART. XXXIIII.

Item statutum est vt amodo deinceps, Vicecomes, Comitatus Mosaniensis, quantùm portionem colonorum concernit, circa contributiones & Iuridicas executiones,

in bonis etiam suæ Maiestatis Ouuariensibus procedere possit. Ac idem fiat in alijs Regni partibus vbiq; in quibus sua Maiestas bona habet, nullis exceptis.

Educillationis Vinorum modus. ART. XXXV.

Educillatio Vinorum in bonis suæ Maiestatis, ac Dominorum & Nobilium, iuxta domorum seriem fieri & continuari debebit, vti quidem istud anno etiam Millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo Nono, Art: Quinquagesimo primo insinuatum est, obseruatis solitis temporibus. Si quæ tamen Curiæ nobilitares sint, quæ ab antiquo peculiaribus super huiusmodi educillatione priuilegijs dotatæ sunt, illæ penes vsum suorum priuilegiorum permaneant.

Controuersiarum ratione metarum inter Hungariam & vicinas prouincias vigentium, compositio denuo statuta. ART. XXXVI.

Controuersiæ metarum & violentiarum inter viduam Nadastianam & eiusdem filios, nec non Christophorum liberum Baronem à Künsperg. Item inter Hungariam & Morauiam, atq; etiam inter Poloniam & Hungariam vigentes, per Commissarios deputatos, quamprimum componantur. Pro parte Commissionis Morauicæ, nominantur Reuerendissimus Dominus Andreas Monozloij, Electus Episcopus Vesprimiensis, & Dominus Ioannes Ioo de Kazahaza, Personalis præsentia. Polonicæ & Austriacæ manent ij, qui proximo anno nominati fuerunt.

Status Regni apud Maiestatem Cæsaream pro Comitatibus Zathmar & Zabolch iterum intercedunt. ART. XXXVII.

Querelis Comitatuum Zathmar & Zabolch, ratione molarum & laborum, quos ad Kalo præstare compelluntur, sæpissimè hactenus factis, vt sua Maiestas effectiuè medeatur, ac Cameræ Scepusiensi seriò committere dignetur, vt eorum oppressionibus succurrat, Status etiam atq; etiam supplicant.

De restauratione Conuentuum Zalauar & Kapornak. ART. XXXVIII.

Similiter vt sua Maiestas Conuentus Zalauar, & Kapornak restaurare & Abbati eorum locorum suos prouentus reddere dignetur humiliter supplicant. Interim autem idem Abbas potestatem habeat Sigilla sibi conficiendi & teneatur literas more solito extra dare.

De non occupandis per Cameram Bonis Nobilium. ART. XXXIX.

In negotio Bonorum Nobilium, sua Maiestas iuxta clementem suam oblationem, laudabilem suorum maiorum & antecessorum consuetudinem obseruare dignetur, neq; permittat Cameris, vt quorumcunq; Bona præter viam Iuris adimant. Si autem quæ adempta essent, de ijs sua Maiestas comperta rei veritate, quod iustum erit, statuet.

Resolutio Maiestatis suæ Cæsareæ super facultate Testandi, pro Dominis Prælatis Hungariæ demissè expetitur. ART. XL.

De disponendi quoq; facultate Dominorum Prælatorum, super Bonis ipsorum Mobilibus, & acquisititijs, simili modo se benignè resoluere dignetur.

Seifridus à Kolonich in Hungarum recipitur. ART. XLI.

Deniq; quia sua Maiestas Cæsarea atq; Regia, ac Serenissimus Archidux Maximilianus, Domini nostri clementissimi, Statibus & Ordinibus Regni, Magnificum Dominum Seifridum à Kolonich, certorum equitum Cataphractorum Præfectum, clementer commendare dignati sunt, vtq; in cætum & incolam, membrumq; huius Regni reciperetur, postularunt. Cum igitur respectu commendationis suarum Maiestatum, tùm verò etiam, quod ipsis statibus de eiusdem Domini Seifridi à Kolonich, in hanc

Rempub: præstitis meritis, optima quæq; relata sunt, sperant quoq; quòd sicut hactenus se fortem atq; militarem virum contra communem Christiani nominis hostem, præteritis annis præstitit, ita etiam in posterum, alacri animo pro ipsa Christiana Republ: certaturus est. Eundem in numerum & consortium suum haud illibenter cooptauerunt, ac solitum iuramentum ab eò superindè receperunt.

Status Regni iterum intercedunt pro Montanistis & Monetarijs.

ART. XLII.

Quia necessarium esse visum est statibus, vt fodinæ suæ Maiestatis conseruentur. Id autem ita fieri posse censent, si hac de re exhibitam Montanistarum & septem Montanarum ciuitatum supplicationem, nec non Monetariorum supplicem libellum sua Maiest: benignè exaudiuerit. Itaq; supplicant humiliter Status, dignetur se ita resoluere superindè, ne ipsæ fodinæ in defectum veniant.

CONCLVSIO.

NOs Itaq; præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, Dominorum, Prælatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, clementer admissa, præfatos vniuersos & singulos Art: Nobis modo præmisso præsentatos, præsentibusq; literis Nostris, de verbo ad verbum insertos, & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolumq; pariter & assensum præbuimus ac illos & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus & confirmauimus. Offerentes Nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & Articulis, tàm Nos ipsi obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos Nostros, cuiuscunq; Status & Conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus. Harum Nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima septima die Mensis Martij, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo octauo. Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo tertio, Hungariæ & aliorum vigesimo sexto, Bohemiæ verò anno similiter vigesimo tertio.

NOS RVDOLPHVS secundus, diuina fauente, clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Vngariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro festo Conuersionis B. Pauli Apostoli, hoc est vigesimo quinto die proximè præteriti mensis Ianuarij, Anno domini Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo nono celebrato, in Ciuitate nostra Posoniensi, ex mandato nostro congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis, medio Serenissimi Principis Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. Fratris nostri charissimi, qui scilicet nostro nomine dicto generali conuentui præfuit, infrascriptos Articulos, in eodem conuentu, communibus ipsorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos: Supplicantes nobis humiliter, vt vniuersos & singulos eos Articulos, omniaq; & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum illis præbentes, autoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare ratificare & confirmare, atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICULI DOMINORUM PRÆLATORUM, BARONUM, MAGNATUM ET NOBILIUM, CÆTERORUMQUE STATUUM ET ORDINUM REGNI HUNgariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro festo Conuersionis B. Pauli Apost: hoc est, vigesimo quinto die Mensis Ianuarij, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo Nono in dicto, Posonijq; celebrato, conclusi.

Præfatio, in qua Status & Ordines Regni, se humiliter excusant, quod pro defensione patriæ suæ, tot calamitatibus obruti, multa pro tempore præstare nequeant, nihilominus Maiestatis suæ Cæsareæ benignæ postulationi demisse obsequi cupientes, quæ maximè poterunt, ea humiliter præstabunt. ART. I.

QVæ Serenissimus Princeps ac Dominus Matthias, Archidux Austriæ, &c. Dominus noster clementissimus, Statibus & Ordinibus huius Regni Hungariæ, in propositionum sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Domini itidem Nostri clementissimi libello, nomine suæ Maiest: exhibuit, ea Status atq; Ordines humiliter intellexerũt, & in acuratissimã deliberatissimã deduxerũt. Certò itaq; sibi persuasum habere dignetur sua Maiest: nihil magis Statibus & Ordinibus cordi semper & fuisse, atq; etiam nunc esse, quàm vt labanti ac extremum planè exitium minanti Patriæ, inter tot & tantas temporum iniurias, Rerumq; angustias, auxiliatrices manus eò alacrius & liberalius præbere possint, quod maioribus, viciniorbusq;, quàm alia Regna remotiora sint expositi periculis; sed eum in eas afflictissimæ huius Regni reliquiæ inciderint calamitates, quas non enumerare modo, verum & scripto comprehendere longum foret; ideò suæ Maiestati mirum videri non debet, si benignæ suæ Maiestatis in omnibus hoc tempore morem gerere non possunt. Nihilominus quæ ab eius, pro ipsorum summa tenuitate, & temporum perturbatissimorum necessitate, præstari poterunt, sacræ Cæsareæ Maiestati obsequi humillimè cupientes, his sequentibus Articulis vnanimi voluntate exponunt.

De militari insolentia coërcenda, Maiestas sua Cæsarea & eius Serenitas curam habebit. ART. II.

Quod ad refrenationem militum attinet, de qua Status & Ordines vehementer & haud immeritò conqueruntur, id tàm Cæsareæ Regiæq; Maiestati, quàm suæ Serenitati sedulo curæ erit, vt quantum vnquam fieri poterit, omnis militum petulantia, tàm intra, quam extra præsidia, seuera disciplina coërceatur, & ingrassatores debito modo animaduertatur. Curari verò debebit, vt miles in Præsidijs & in Castris victualia pro iusto pretio habeat.

De exterminandis liberis Haidonibus, & de fautorum, & intertentorum eorum pœna. ART. III.

Ad exterminandos liberos Haidones, præcedentium Annorum constitutionibus insistatur: hoc addito, vt fautores & intertentores talium Haydonum, pœna capitis per suam Maiestatem puniantur, ac in ferenda contra eos sententia, ad instantiam partis læsæ, procedat sua Maiestas, instar turbatorum prouentuum Regiorum.

Militum per Germanos Commissarios deducendorum insolentia quomodo cauenda sit. ART. IIII.

Pro cauendis militum insolentijs, deductione militum sua Maiestas Cæsarea atq; Regia, idoneos Germanos Commissarios prouidere dignabitur. quibus in quolibet comitatu, ad requisitionem Camerarum, Iudex Nobilium, aut alia idonea persona adiungetur, quibus Cameræ competens salarium ordinent, atq; dent.

Vbi veniens ac rediens exercitus condescendere debeat, & vbi non. ART. V.

In negotio deducendi, reducendi, & Hybernandi militem, Status & Ordines, suæ Maiestati humillimè supplicant, dignetur talem modum obseruandum iubere, vt exercitus veniens & rediens, in Campo & Castris condescendat, non autem in villis, aut in oppidis, aut ciuitatibus, signanter autem in domibus Magnatum, Nobilium & Ecclesiasticarum personarum, iuxta publ: constitutiones Regni, superindè superioribus annis sancitas, non condescendant.

Subsidium duorum florenorum Hungaricorum de singulis domibus, pro conductione decem millium armatorum hominum, in duobus terminis exigendum, oblatum. ART. VI.

Quantum ad subsidium præsentis anni pro continuatione belli contra hostem suscepti, attinet; licet Status & Ordines extremam militis & auctioris etiam, si fieri posset intertenendi necessitatem perspiciant, nihilq; magis ipsis cordi esset, quam hac in parte sibi, suæq; Maiestati, patriæq; periclitanti, modis omnibus succurrere; tamen ob eorum extremam paupertatem ita vt vellent, ac ipsa necessitas postularet, non possunt. Vt tamen pro viribus, imò etiam supra vires & facultates, hoc etiam anno patriæ commodent; offerunt ad sex integros Menses, decem millia hominum armatorum: In superiori Vngaria duo millia equitum & totidem millia peditum: in Cisdanubianis partibus, mille & Noningentos equitos & totidem pedites: In Vltradanubianis septingentos equites & totidem pedites: In Sclauonia ducentos equites & sexingentos pedites: pro quorum conductione & intertentione, (salua & reseruata pro sua Maiestate liberarum ciuitatum taxa) de singulis domibus colonicalibus & inquilinarijs, de nouo, propter combustas & per Turcas ac Tartaros penitus desertas ac desolatas, rectificandis, singulos binos florenos, quorum centum quinquaginta, colonus, quinquaginta autem, Dominus terrestris soluet, pro prima dimidietate, ad festum B. Georgij Martyris pro altera verò, ad festum B Ioannis Baptistæ, tàm ex suæ Maiestatis quàm etiam Dominorum Prælatorum, Baronumq; & aliorum Statuum bonis, nullis exceptis, præter personam suæ Maiestatis, & Domini Archiepiscopi Strigoniensis, qui iam antea milites continuo intertenent, exigendos, ita vt ditior colonus pauperiorem subleuet, & hac pecunia primoquoq; tempore, per Dominos supremos Regni Capitaneos Vngaros, equites & pedites Hungari conducantur, pro suæ Maiestatis clementi discretione: ipsa verò pecunia, in quolibet Comitatu, per idoneum perceptorem cuiuslibet Comitatus, ad id ibidem eligendum, exigatur eaq; fideliter & tempestiuè exacta, ad manus eorum Asseruatorum assignetur, qui paulò post specificabuntur, qui solutionis militum curam habeant. Perceptorum Salarium in minoribus Comitatibus sint in toto viginti quinq; floreni, in maioribus quinquaginta.

Ecclesiastici, Nobiles vnius Sessionis & Armales, aliaq; diuersæ personæ similiter contribuant, iuxta præcedentium Annorum constitutiones.

ART. VII.

Quibus quidem duobus florenis, accedet etiam taxa Nobilium armalium & vnius Sessionis; Item libertinorum, prædialium, Sacerdotum, Abbatum, concionatorum, Capitulorumq;, colonos non habentium, Item negotiatorum & Quæstorum, mercatorumq; forensium, ac cæterorum omnium, qui in Articulo decimo, Anni Nonagesimi sexti, & decimo quinto, Anni proximè elapsi Nonagesimi octaui, specificati sunt; hoc declarato, vt Nobiles vnius Sessionis, qui inquilinos in proprijs fundis & curijs Nobilitaribus habuerint, tales non ratione Inquilinorum contribuant, sed ratione facultatum taxentur, ipsi tamen Inquilini nihilominus instar aliorum soluant; hæcq; & supradicta taxatio, per Comitem, præsente Vicecomite, peragatur, si Comes præsens esse poterit, sin minus, vnus vel alter præcipuus vir, & Commissarius, quem ad id ipse Comes, cum consensu Comitatus elegerit atq; transmiserit, illam fideliter, similiter præsente Vicecomite perficiat.

Prædiales

Prædiales Domini Archiepiſcopi Strigonienſis, per quem taxandi?

ART. VIII.

Prædiales Domini Archiepiſcopi Strigonienſis, taxabunt Palatini & Vicecomites eorundem prædialium, in quantum non ſunt Armales, aut alibi Seſſionati Nobiles non fuerint.

Tredecim oppida Scepuſienſia ſimiliter aliquid contribuant.

ART. IX.

Debebunt etiam non immeritò in hac maxima Regni neceſſitate, tredecim Oppida Scepuſienſia, aliquid in medium cæterorum Regnicolarum, conferre; ſiquidem in viſceribus huius Regni ſunt atq; habitent.

De Dica Sclauonica huius Anni ART. X.

In Sclauonia, præſenti Anno de ſingulis domibus centum viginti quinq; denarij contribuentur.

De auxilijs Comitatuum Bihorienſis, Zolnok mediocris, Maramoroſienſis & Krazna, quonam conuerti & milites eorum quomodo luſtrari debeant.

ART. XI.

Comitatus Bihorienſis, Zolnok mediocris, Maramoros, & Krazna, ſuo auxilio dabunt vatatinum, aut quo neceſsitas poſtulauerit, quorum auxilijs, numerus militum decem millium ſupraſcriptorum non parum excreſcet. Qui quidem milites, quotieſcunq; neceſſarium viſum fuerit, per Maieſtatis ſuæ Cæſareæ luſtrationum Magiſtros præſentibus Statuum (ſi voluerint) officialibus, luſtrari poterunt, & vacantium loco, alij bello idonei & armis benè inſtructi, ſiue pedites ſiue equites, ſurrogari debebunt.

Qualiter certa ratio erogationis pecuniæ, & numeri ſeruientis militis poſſit haberi, deq; ſtatuum Regni, circa maturam oblatorum militum ſuorum conductionem, promtitudine. ART. XII.

Vt verò certa ratio habeatur erogationis pecuniæ & numeri ſeruientis militis, habeat ſua Maieſtas penes Dominos ſupremos Capitaneos, continuò ſuos ſcribas campeſtres, qui aduigilent. Dabunt autem Status & Ordines operam, vt ex copijs, per eoſdem intertenendis, ad primam diem Menſis Maij iam imminentis, mille quingentos pedites, ac mille equites, reliquos verò ad primam Iunij, in procinctu atq; Ordine habere, ac neceſſitate ſic poſtulante, cum ſua Maieſtatis exercitu in Campum educere poſſint. Qua quidem in re, Status & Ordines Regni, ſeſe tempori ac benignè Maieſtatis ſuæ Cæſareæ, vel vero eius Serenitatis commiſſioni, accomodare debebunt.

De pœna eorum, qui publicæ oblationi ſeſe oppoſuerint, & exactionem de bonis ſuis fieri non permiſerint. ART. XIII.

Quod ſi qui forte eſſent, qui præmiſſæ oblationi ſe opponere non vererentur, aut de bonis ſuis exactionem fieri non permitterent; ex tunc in pœna ſextupli conuincantur, & procedatur contra eos, iuxta conſtitutiones publicas proximorum Annorum, Nonageſimi ſexti & ſeptimi. Si verò ſint aliqui, qui Comites, vel Vicecomites in exactione huiuſmodi pecuniarum turbaturi eſſent neq; permitterent illos exigere, tales per ſuam Maieſtatem ad proximam Regni Diætam euocentur, & conuicti in pœnam capitalem incidant.

Coloni Turcis ſubiecti quantum ſoluere debeant.

ART. XIIII.

Coloni Turcis ſubiecti ſoluent more ſolito dimidium Contributionis.

A ſolutione ſubſidij & taxarum nemo planè ſit exemptus.

ART. XV.

Quod ad solutionem autem memorali subsidij ac taxarum attinet, nemo nec Camerarius ac Tricesimator, nec Vicebanus, nec Viceprothonotarius, Vicecomes, Notarius aut Iudex Nobilium, vel quispiam alius sit exemptus, sed subiaceant omnes huic oneri ferendo, instar aliorum.

De reddendo Salario ex præteriti Anni Contributione, perquoscunq; reseruato.

ART. XVI.

Si qui Vicecomites aut Iudices Nobilium & aliæ personæ, Anno præterito salarium ex ipsa contributione sibi reseruarunt teneantur illud iterum reddere, gratis enim debuerunt seruire, non præmio.

Qui in superiori Vngarica, Contributionis huius militem conducere, & quinam in illis & alijs Regni partibus, pecuniam exactam asseruare, erogareq; debeant, & de ipsorum salario, dandaque ratione.

ART. XVII.

Quia autem in superiori Vngaria hoc tempore sua Maiestas supremum Capitaneum Hungarum non habet. Ideò in illis partibus, supradictum militem, pro portione eius ditionis Magnifici Domini, Sigismundus Rakoczy & Sigismundus Forgach, conducent. Pro asseruanda verò annotata pecunia ac etiam eroganda, pro superiori Vngarica nominatur, Nicolaus Zokoly, qui menstruatim pro Salario habebit solutionem octo equitum, & insuper in toto quingentos florenos Vngaricos: pro partibus Cisdanubianis nominatur, Thomas Vizkelethij aut Caspar Heolgij, qui similiter solutionem habebit in toto quingentorum florenorum Vngaricorum, ac insuper menstruatim octo equitum; pro vltradanubianis autem, Ladislaus Ioo de Kazahaza, cuius salarium erit in toto quadringenti floreni Hungarici, & insuper menstruatim quinq; equites. Qui si fortè induci ad inseruiendum non possent, eliget loco eorum sua Maiestas aut sua Serenitas, cum Dominis consiliarijs alios idoneos, qui ipsam pecuniam exactam, ad nullos alios vsus conuertant, quam tantùm ad solutionem nouiter conducendi militis; alioquin in rationibus non acceptabitur, qui in futura Dieta accepti & expensi, iuxta benignam Maiestatis suæ Cæsareæ dispositionem, rationes dare teneantur.

De stipendio militari, Superiorum annorum constitutiones seruandæ.

ART. XVIII.

Diminutio stipendij militaris hoc tempore adhuc feruente bello fieri non potest, præsertim etiam propter militarium personarum paucitatem: Itaq; censent status, superioribus anni Nonagesimi sexti Constitutionibus insistendum esse; nimirum vt eques, tàm ratione stipendij, quàm ratione currus, sex, pedes autem, tres florenos accipiat, sub poena ibidem statuta, tàm ex parte plus accipientis, quàm etiam dantis.

Miles Hungarus, iuramento aliquo, præter morem, patriæ non obstringendus.

ART. XIX.

Neq; autem militem hunc iuramento aliquo præter morem & consuetudinem patriæ obstringi posse iudicant. Habet enim miles Hungaricus antiqua sua iura militaria, quibus, quamprimum militiæ nomen dederit, & si quid deliquerit, confestim ex præscripto iuris sui Capitanei Hungari, cui iuxta Articulos annorum superiorum subiectus esse & dependere debebit, poena condigna plectetur.

De modo & ordine conuectionis victualium in Castra, & de poena eorum, qui victualia ex bonis suis, iuxta limitationem Comitatus vehere non permiserint, & distributio villarum in milites, præcauenda.

ART. XX.

De conuectione victualium ad generalia Castra fienda, renouatur Articulus superioris anni Vigesimus tertius. Habeatur tamen per Dominos supremos Regni Capitaneos respectus & ratio remotiorū Comitatuū. Precium verò ipsorū victualiū semper

diligenter

diligenter & certò ſoluatur. Vectores præterea non detineantur, aut curribus & iumentis non priuentur, ſed ſemper liberum eundi & redeundi paſſum habeant. Item à ſolutione Triceſimarum & Teloniorum exempti habeantur: Alioquin verendum eſt, ne ipſa victualia deficiant. Ii verò qui ſecundum limitationem Comitatus victualia in caſtra proterue & requiſiti, ex bonis ſuis vehere non permiſerint, in pœna ſextupli conuincantur, toties, quoties contumaces fuerint; Et nihilominus eadem victualia in Caſtra vehere cogantur. Hoc loco ſeriò caueri debet, ne Capitanei vel confiniarij, more eorum ſolito, Villas militibus diſtribuant, ac ad curruum vel equorum adminiſtrationem colonos cogant; Alioquin vt victualia in caſtra vehi non poſſint, iſtud etiam cauſabit.

De eligendis in Conſilio Hungarico tribus Annonæ Magiſtris Hungaris.
ART. XXI.

Sua Maieſtas, aut ſua Serenitas, eligat in Conſilio ſuo Hungarico, tres annonæ Magiſtros Hungaros, vnum pro his Ciſdanubianis Regni partibus, alterum autem pro ſuperiori Hungaria, & tertium pro Vltradanubianis partibus, qui ſint adiumento ſupremo annonæ Magiſtro; pro quibus nominantur, pro ſuperiore Hungaria Caſpar Varſadii, pro partibus Ciſdanubianis, Paulus Wizkelethij, pro Vltradanubianis autem Stephanus Chemeteij, qui ſi fortè induci ad ſeruiendum non poſſent, eliget loco eorum ſua Maieſtas, aut ſua Serenitas cum Dominis Conſiliarijs, alios idoneos.

Pro generali inſurrectione, in caſu magnæ neceſſitatis, à ſingulis quatuor portis, vnus pedes decretus. ART. XXII.

Quod inſurrectionem, tàm generalem, quàm particularem, Status hactenus detrectare coacti ſint, atq; etiam nunc detrectare cogantur, rationes eæ fuerunt, quæ iam antea ſæpiùs declaratæ ſunt. Ne tamen hac in parte quoq; poſtulationi ſuæ Maieſtatis ſtatus refragentur, ſi ſumma id poſtulauerit neceſſitas, mittant à ſingulis quatuor portis, iuxta connumerationem & rectificationem portarum Anni Nonageſimi ſexti, vnum peditem, pro uno duntaxat menſe, ab ingreſſu ad Caſtra computando, vltra oblatum ſuperiùs militem. Nam etiamſi perſonaliter inſurgere vellent, tamen quia flos militiæ & penè omnes bello habiles, ſtipendia merebunt, neq; domi, niſi bello minus idonei remanebunt; Hi, etiamſi inſurgerent, parum vel nihil vtilitatis indè pro bello emergeret; quod experientia iam edocuit. Si tamen contingat ſuam Maieſtatem ipſammet per Dei gratiam in Caſtra proficiſci, non ignorant Status, quid in eo caſu antiquitus obſeruatum ſit, parati ſunt ſe obedienter antiquis Regni decretis accomodare.

Pœna eorum qui contra publ: Regni conſtitutiones, in comitatibus alia decreuerint. ART. XXIII.

De ijs, qui contra publ: Regni Conſtitutiones, interdum alia domi in Comitatibus decernere ſatagunt, renouatur Artic: Quadrageſimus ſextus, Anni Nonageſimi ſeptimi.

De modo exactionis Rationum, de Reſtantijs prouentuum ac Contributionum Regni præteritorum. ART. XXIIII.

Quod concernit exactionem rationum, reſtantiarum prouentuum, ad contributionem Regni præteritorum annorum, Ea quia partim propter expeditiones bellicas, partim autem etiam alia impedimenta, anno elapſo peragi non potuit: ſtatutum eſt, vt præter aliquam dilationem, à fine nimirum huius Diætæ, ad Nonum vſq; diem Menſis Maij, proximè venturi, computando, ad effectum deducatur, ac per Commiſſarios ad id ſuperiori anno denominatos, iuxta præteritorum annorum Conſtitutiones, ab omnibus perceptoribus & Cameris, ſufficiens eiuſmodi Contributionum ratio exigatur. Ita etiam ſeruitores & Officiales Fiſci, teneantur, rationem reddere Cameræ; quorum

si qui mortui essent, idem teneantur facere hæredes quoq; eorum. Posonij autem, ac Cassouiæ, exactio rationis præmissæ, fieri non potest; erunt enim tempore huiusmodi exactionis, in Comitatibus inquisitiones, super exhibendis Regestris Perceptorum, quæ diutiùs differre tædiosum & damnosum esset.

Inquisitio de non Intertentis militibus anno superiori, ex quinquaginta denarijs, per Dominos terrestres oblatis, instituenda, deq; talium, qui non intertenuerunt pæna. ART. XXV.

Inquisitio etiam non intertentionis militis, anno superiori ex quinquaginta denarijs per Dominos terrestres oblatis, vt per Dominos generales Capitaneos peragatur, iustum est: & qui militem non intertenuerunt, puniantur eo modo, quo id in Artic: publi: Constitutionum anni Nonagesimi sexti, & Nonagesimi quinti declaratum est.

De pæna eorum, qui duplicia, aut triplicia stipendia acceperunt. ART. XXVI.

Renouantur hoc loco Articuli annorum præteritorum de pœna eorum, qui duplicia aut triplicia stipendia accipere consueuerunt.

Vectura bombardarum per quos fieri debeat. ART. XXVII.

Vectura bombardarum, tormentorum & aliarum munitionum bellicarum, cum ex antiqua consuetudine & iure, legibusq; Regni, oneri liberarum ciuitatum, incumbat; ideò eædem ciuitates, quantum pro viribus & facultate ipsorum poterunt, eam præstare non negligent, & si quis defectus in ijs, ob iumentorum penuriam, compertus fuerit, eum sua Maiestas ex vicinioribus suis Regnis vbi & plures, & fortiores equi habentur, refundere dignabitur. Confidit tamen sua Maiestas Cæsarea ac Regia quod fideles Status & Ordines Regni pro publ: patriæ suo bono sicuti hactenus laudabiliter fecerunt, necessitate ita exigente, dictam vecturam pro esse ipsorum, promptè ac beneuolè adiuturi & promoturi sint.

Ad Confiniorum reparationes, de singulis portis, sex dierum labores pro hoc anno decreti. ART. XXVIII.

Ad reparationes Confiniorum, vt pecunia restantiarum, & Pirsagia conuertantur, placet statibus. Quæ vt auctiori & meliori modo promoueantur, pro hoc anno, de singulis portis, sex dierum labores decernunt, in quantum per bellum fieri poterit, iuxta præteritorum annorum constitutiones, superindè sancitas, præstandos. Petunt tamen status, vt fiat iusta Comitatuum distributio, & ne compellantur ad plures labores; præsertim Castriferrei & Zaladiensis labores, iuxta priorum annorum Constitutiones, ad reparationem Canisiensem conuertantur.

De Sale nitro. ART. XXIX.

De Sale Nitro renouantur Art: proximorum annorum superindè sanciti.

De reparatione viarum, & de pæna eam negligentium. ART. XXX.

Vt viæ vbiq; quamprimùm reparentur necessarium est. Curent ergo Vicecomites, vt sine mora ab omnibus reparentur, tàm in Hungaria, quàm in Sclauonia: qui si negligentes reperti fuerint, supremus Comes, aut eo non existente, supremus Capitaneus duplicatam pænam, hoc est, viginti quatuor florenos à Vicecomitibus, etiam per rerum ablationem, exigat.

Status Regni humiliter supplicant Maiestati suæ Cæsareæ vt in causis bonorum Nobilium & Magnatum, veterem Regni consuetudinem obseruare, bona Vngarica extraneis non conferre iuraq; certorum nobilium discuti, & Nobilibus Comitatus Bihariensis allata bona, restitui mandare dignetur. ART. XXXI.

Quod

Quod ad granamina statuum Cameralia spectat; supplicant iterum atq; iterum suæ Maiestati, & Serenitati humillimè, dignetur in causis bonorum, tàm Nobilium, quàm Magnatum, veterem Regni consuetudinem obseruari iubere, & decreta Regni clementer manutenere: quæ continent, ne sua Maiestas, de suis Regijs manibus bona nouiter decedentium cuipiam conferat, nec ullius bona sine iuris via auferri permittat, aut illa pro se reseruet, sed benè meritis personis conferat, ac Donatarij, si quibus bona quæpiam per suam Maiestatem collata fuerint, iuris ordine pro illis agant. Simili modo supplicãt humillimè, vt arces & bona Vngarica extraneis minimè conferat, sicut factum est in collatione Lipchie, Wigles Zoliom & Leuuar, sed iuxta approbatas Regni leges, benè meritis indigenis clementer conferre, ea verò, quæ hactenus alijs externis cõtulit, (eo quod non sint capaces iurium Regni) ab illis recipere, & similiter indigenis dare dignetur. Hæc si sua Maiestas, pro sua erga suos fideles clementia & beneuolentia, præstiterit, fiet, quod nec sua Maiestas, neq;, Cameræ suæ Maiestatis molestabuntur, fidelibus autem suæ Maiestatis omnis conquerendi occasio tolletur. Modo verò, vt hæredes quondam Georgij Kallaij, nec non Christophori Chapij, & Francisci Farkas exaudire, ac eorum iura discutienda committere: Nobilium autem Comitatus Bikariensis, nunc primum ad fidelitatem suæ Maiestatis adductorum & regressorum, querelas & petitiones, ratione ablatorum bonorum factas, tanquam iustas & iuri legibusque Regni consonas, admittere, eisq; bona eorum ablata, iuxta superiorum annorum Constitutiones, per Vicecomites reddi iubere dignetur, denuò supplices petunt atq; intercedunt. Verùm Maiestas sua Cæs: ac Regia super hac re ponderosa, benignè vlterius deliberabit, auditisq; superindè Consiliarijs suis Vngaris & rei veritate cognita, id quod iuris & æquitatis ratio dictabit, clementer statuet.

Quando de restantijs pecuniæ ad Eleemosynam olim deputatæ, ratio exigi debeat. ART. XXXII.

De restantijs pecuniæ ad Eleemosynam olim deputatæ, exigatur ratio, tunc anno de cæterarum Contributionum restantijs, exigetur.

Depositionum loca, in superiori Vngaria per Polonos obseruentur. ART. XXXIII.

Item, quia quinq; Ciuitates superioris Vngariæ, in eo conqueruntur, quod Poloni contra veteres Regni Constitutiones antiqua depositionum loca transeuntes, varias merces & vina, pro eorum libitu emunt atq; euehunt ex Regno: idcirco statutum est, vt antiqua depositionum loca, deseruentur.

De non exigenda de Allodiatura statuum Regni tricesima. ART. XXXIIII.

Status & Ordines grauiter in eo conqueruntur, quod de proprijs Allodiaturis ipsorum, quando ex Regno educuntur, tum etiam de rebus, quæ pro domestico vsu inuehuntur, Tricesima exiguntur: Statutum itaq; est, vt in hoc negotio Artic. Vigesimus quintus, constitutionum Anni septuagesimi quarti, superinde editus, obseruetur, & committatur Tricesimatoribus, ne à similibus mercibus & à minutioribus etiam rebus, quæ adforum adferuntur more eorum solito, proprij lucri gratia Tricesimam accipiant. Constet tamen eiusmodi maioris momenti merces ex proprijs Allodiaturis, aut ad proprios vsus inductas esse, & teneatur quilibet Dominorum, & Nobilium, cum aliquid è Regno de propria Allodiatura educit, vel pro necessitate & vsu solummodò suo Domestico, non autem pro quæstu, in Regnum inducit, hominibus ac subditis suis, literas testimoniales ritè confectas, dare, quibus fidem faciat, eiusmodi res, ad se & non ad alium pertinere, & pro sola necessitate sua, siue vsu domestico comparatas esse. Si verò quispiam suprà necessarium vsum suum domesticum, vel quæstus gratia, vel alicuius

alicuius lucri causa, quippiam in Regnum inducere, non soluta de illo Tricesima deprehensus fuerit, tales res de facto confiscentur.

De restaurando Conuentu Præpositura Turocienfis.
Art. XXXV.

Ad supplicationem Comitatus Turocz & cæterorum eiusdem vicinorum Comitatuum, ea de re sæpiùs cùm suæ Maiestati, tùm etiam ipsis statibus & Ordinibus factam; decretum est, vt conuentus beatissimæ Virginis Mariæ de Turocz restauretur & reformetur, ac patres Societatis Iesu, qui eam Turoczensem præposituram nunc possident, quatuor seculares sacerdotes cum Notario ibidem teneant, qui executionum & expeditionum literarum curam habeant, non autem ipsi Patres Iesuitæ; erunt tamen præfati comitatus adiumento ipsis Patribus, in restauratione & reædificatione claustri & Conseruatorij illius, quantum poterunt. Verùm Maiestas sua Cæsarea ac Regia, hoc loci, priori suæ benignæ deliberationi & sententiæ etiamnum clementer inhæret.

De pœna in certos Nobiles bigamos ac incestuosos & publicos malefactores, publicè statuta. **Art. XXXVI.**

Item, quia inter cætera peccata & enormia facinora, quæ in hoc Regno Hungariæ, ac in Sclauonia vigent, illud etiam non postremum est, quod sunt nonnulli, qui, diuini præcepti ac honestatis immemores, vel plures quam vnam vxores ducunt, vel autem, vt libidini suæ indulgeant & seruiant, relicta aut interempta prima, alteram superinducunt, ac interdum proximo sanguine iunctas, in matrimonium sibi accipiunt, vt sunt Emericus Maithenij, Emericus Batij, Tutor Delij, Ioannes Hollossis, Petrus Pellerdis & similes, similiter etiam vxores eorum; deinde alij quoq; publici malefactores plurimi sunt, qui vel ipsas vias obseruantes, vel autem domos inuadentes, latrocinia atq; homicidia exerceant, ideo statutum est, vt constitutiones anni quadragesimi octaui, de huiusmodi publicis malefactoribus statutæ obseruentur, ac si domini Terrestres, per supremos Comites & Vicecomites requisiti, eos debito modo punire noluerint, tunc, tàm in bonis suæ Maiestatis, quàm etiam quorumcunq; Dominorum Prælatorum, Baronumq; & Nobilium, (etiam si Nobiles fuerint) per eosdem supremos Comites, & Vicecomites capi & iudicari atq; puniri possint. Personæ autem supra denominatæ, statim in Ius citentur, ac Iure primùm conuictæ & aggrauatæ, tandem capiantur & puniantur.

Supplicant status Regni, vt sua Maiestas Franciscum Redeij Capitaneum Filekiensem, propter delicta ipsius, seuerè punire dignetur.
Art. XXXVII.

Et quia contra Capitaneum Filekiensem, Franciscum Redeij, à Comitatibus multæ & graues querelæ factæ sunt, signanter autem à Casparo Balogh, qui ex propria domo per ipsum Redeij euulsus & crudeliter tractatus esse dicitur, similiter quod contra publicos Regni Constitutiones, liberos Haidones aluisset, & nunc etiam aleret, ipsamq; plebem & Nobiles diuersis violentijs afficeret; ideo sua Maiestas dictum Franciscum Redeij, iuxta continentias publi: constitutionum, seriò & seuerè punire dignetur.

In Nobiles Ioannem & OsValdum Sibrik propter delictum eorum etiam animaduertendum. **Art. XXXVIII.**

Hoc loco conqueritur Ioannes Raikij, Vicecomes Comitatus Mosoniensis, quomodo proximis temporibus, cum ipse quosdam malefactores, ex officio suo Vicecomitis, detinuisset, vt secundum iura Regni puniret ex tunc Ioannes & Osualdus Sibrik, nesciturvnde moti in ipsum Vicecomitem, cum ipsorum complicibus, cortuissent, eumq; aliquot vulneribus affecissent. Quare statutum est, vt quia in eo Mosoniensi comitatu specialis Comes modo non habetur, causa hæc, per dominum supremum

Capita-

Capitaneum Regni, præter morem reuideatur, ac iustitia æquâ lance partibus administretur, & seruatis de Iure seruantis, si præscriptæ personæ reæ compertæ fuerint, puniantur.

De exequenda sententia pro familia Gelethffij lata.

ART. XXXIX.

Item, sunt nonnulli, vt sunt hæredes, Georgij Gelethffij, ac alij plerique, qui in eo conqueruntur, quod licet eis in ipsorum causis iustitia administratur, ac more solito, super obtentis causis, sententias recipiunt, attamen executiones, talium sententiarum, vel non subsequuntur, ijs, quorum esset eiusmodi sententias exequendi officium, renuentibus, vel autem post executionem ipsarum sententiarum, ne pars triumphans voti compos reddatur, à Potentioribus omnibus artibus tota causa inuoluitur. Quare statutum est, vt sua Maiestas, huiusmodi iustis causis benignè fauere, & in eos, qui ipsas executiones turbare aut negligere comperientur, debito modo animaduertere dignetur, & committere supremo Comiti Comitatus Saaros, vt prædictam sententiam familiæ Gelethffij exequatur, quo non sufficiente, generalis Capitaneus sit ei auxilio. Verum Maiestas sua Cæsarea & Regia ad humilem dicti Comitatus Saaros instantiam & informationem, hoc negotium cum Consiliarijs Hungaris commodiore tempore benignè tractare, seque pro rei æquitate, tandem clementer sub eo resoluere statuit.

Vt Vigens inter Comitatum Tornensem & Dominum Franciscum Dersffij controuersia, per idoneos Commissarios reuideatur. ART. XL.

Comitatus Tornensis in eo supplicat suæ Maiestati, vt iuxta Art: quinquagesimum octauum, Anni Nonagesimi sexti, controuersia ea, quæ eis est cum Domino Francisco Dersffij, ratione quarundam exactionum, quas ipse Dominus Dersffij eis imponit, per idoneos Commissarios reuideatur atque decidatur.

De obseruanda Nobilium prædialium & colonorum Archiepiscopatus Strigoniensis libertate in Telonijs. ART. XLI.

De Nobilibus prædialibus & colonis Archiepiscopatus Strigoniensis, vt iuxta antiqua eorum priuilegia exactione tributorum & Teloniorum, per totum Regnum nusquam impediantur, & contra facientes, pœna à Iure statuta puniantur. Renouatur Art: quinquagesimus Nonus publicarum constitutionum Regni, Anni sexagesimi tertij.

Vt Capitulo Iauriensi residentia ac iurisdictio in ciuitate Iauriensi restituatur, status Regni Maiestatis suæ Cæsareæ humilliter supplicant.

ART. XLII.

Præterea supplicant denuo Status & Ordines ut sua Maiestas, Capitulo Iauriensi, solitum & à Diuis Vngariæ Regibus concessam residentiam ac iurisdictionem, in ipsorum Iauriensi ciuitati reddi ac restitui gratiosè iubeat, sic etiam alijs qui ibi domos habuerunt.

Controuersia inter Comitatum Trinchiniensem, & Dominum Episcopum Nitriensem, ratione Decimarum vigens, dilata. ART. XLIII.

Controuersiæ de Decimis inter Comitatum Trinchiniensem, & Dominum Episcopum Nitriensem ortæ, definitio reijcitur ad pacatiora tempora. Interim idem Dominus Episcopus à prosecutione causæ contra ipsum Comitatum motæ, supersedeat. De quo tamen Maiestas sua Cæsarea vlterius cum Consiliarijs suis Hungaricis benignè decernere, ac postmodum se clementer resoluere statuit.

Polonica Commissio denuo instituta. ART. XLIIII.

Item renouantur etiam Articuli Annorum præteritorum, super rectificatione metarum huius Regni Hungariæ & Vicinorum Regnorum atque Prouinciarum. Pro

rectificatione Polonicarum metarum, nominantur Reuerendissimus Dominus Petrus Radoevvich, electus Episcopus, Vaciensis, aut Nitriensis, Magnificus Dominus Stephanus Ilies Hahazij, Magnificus Dominus Thurza, & Dominus Andreas Ostrosith, siue Andreas Iusth: qui loco absentium, alios idoneos eligendi habeant potestatem, & simul reuideant iuris ordine violentiam & detentionem, quæ nuncijs Comitatus Trinchiniensis per Komorouium illata est. Adsit autem vbiq; director causarum suæ Mai. status, nomine Fisci.

Vsus veteris calendarij sub pœna mille florenorum Hungaricorum penitus abrogatur. ART. XLV.

Vt vsus noui & reformati calendarij per omnes Regnicolas obseruetur, veteris autem aboleatur, necessarium est. Cum autem vsum noui Calendarij potissimũ à quibusdam Concionatoribus damnari & interdici inexistimatur; ideo decretum est, vt si qui tales Concionatores publicæ Constitutioni hac de re sancita, sese opponentes, reperti fuerint, ij prouentus suos Ecclesiasticos statim & de facto amittant. Ciuitates autem & Domini terrestres, si qui similiter sese eidem publico statuto opponere ausi fuerint, ac vetus Calendarium imprimi curare, illoq; vti comperti fuerint; puniat ac mulctet eos sua Maiestas in mille florenis, toties quoties contumaces fuerint.

De reuisione Transmissionum & causarum extraordinariarum in Diæta, & de aliorum Iudiciorum celebratione. ART. XLVI.

Quod concernit Iudiciorum celebrationem, & iustitiæ administrationem. Quia sua Maiestas Cæsarea & Regia illa continuanda præcipit; Ideo causæ Transmissionum & extraordinariæ quoq; in omnibus Diætis reuideantur. Quæ autem ad præsentem Diætam adductæ non essent, eæ non periclitentur, nec eis præiudicetur; Octauæ tamen & Iudicia in Comitatibus, ac in foris Spiritualibus, interim, donec in Castris miles fuerit, cessent. Idem fiet & obseruetur etiam in Sclauonia. Solutis Castris, si commodum fuerit, celebrentur vbiq; iudicia solitis terminis.

Status Regni suæ Serenitati gratias agunt, quod causam Restitutionis & Oppidi Papa & Wason commendatam sua Serenitas habuerit, illamq; apud Maiestatem Cæsaream promoueri demissè petunt. ART. XLVII.

Præterea, quod sua Serenitas postulationem, ex parte restitutionis Castra & Oppidi Papa Magnifico Domino Stephano Thereok, nec non Wason, Ioanni Horuath sibi commendatam habuit, maximas agunt & habent gratias; & petunt denuo humiliter, dignetur hoc negotium ita apud suam Maiestatem promouere, vt sentiant hanc ipsorum intercessionem alicuius ponderis fuisse.

Status & Ordines Regni sponte & vnanimiter apud sacram Cæsaream Regiam Maiestatem, pro Spectabili & Magnifico Domino Nicolao Palffij, maioribusq; honoribus & commodis ornando, humiliter intercedunt.

ART. XLVIII.

Deniq;, cum apud omnes, omnium statuum & nationum Reges & Principes ac ipsam etiam Serenissimam & Augustissimam domum Austriacam, ex qua tot Imperatores Regesq; prodière; semper obseruatum ac in more positum fuerit, vt ijs, qui domi forisq; res præclarè gessissent & Rempub: armis defendissent, præmia & remunerationes decernerent. Cumq; Status & Ordines Regni Hungariæ Spectabilem & Magnificum Dominum Nicolaum Palffij &c. ab eo toto tempore, quo in Aula Maiestatis Cæsareæ, Domini ipsorum clementissimi, educatus, ac deindè præfecturis militaribus ornatus fuit, ita se gessisse optime sciant, vt meritò inter viros virtute & fortitudine præstantissimos, numerari possit, & debeat. Nam & initio præsentis belli, in expugnatione plurimarum Arcium Reipub: Christianæ ac Patriæ & Maiestati Cæsareæ seruiuit fideliter & vtiliter, vt taceantur alia eius seruitia, cum sanguinis sui effusione præstita, &

quotidie

quotidie præstari solita, tùm erga omnes militares viros, exterós pariter & nostrates, studia & officia. Horum igitur & aliarum eius virtutum memores Regnicolæ, motu proprio ac spontanea humilitate & demissione, Maiestati suæ Cæsareæ Domino ipsorum clementissimo, supplicant, dignetur sua Cæsarea Maiestas ipsi Domino Nicolao Palffij eiusq; hæredibus masculis quam diu ij clauerint, cum Titulo Comitis perpetui, Arcem & bona Posoniensia clementer conferre; aut si suæ Cæsareæ Maiestati magis placuerit, Ius suum Regium, in bonis & Arcibus S. Georgij & Bozim, eidem perpetuo Iure conferre, eiq; & hæredibus suis Titulum Comitis maioris & perpetui, quos Groff, benignè dare: vt multimoda eius seruitia & defessa & continuæ præstita, hoc modo aliqua ex parte remunerentur, & Maiestas sua Cæsarea hac sua liberalitate Calcar alijs etiam suis fidelibus ad seruiendum addat, quo ad benè de suâ Maiestate merendum incitentur.. Quæ petitio Regnicolarum & humilis supplicatio, cum in similis personæ commendatione, prima sit, & nullo petente, sed sponte vnanimiterq; fiat; sperant status & Ordines, Maiestatem suam Cæsaream pro solita sua benignitate, gratiosè admissuram. Supplicant etiam illi idem Status & Ordines Regni suæ Serenitati Domino ipsorum æque clementissimo, vt apud Maiestatem suam Cæsaream pro hac prima eorum petitione, suas partes interponere, & rem omnem, ad optatum effectum deducere dignetur. Quod ipsi omnes, Maiestati suæ Cæsareæ & suæ Serenitati, cum Domino Palffij, vita Comite, fideliter & diligenter reseruire contendent.

CONCLVSIO.

NOs Itaq; præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, Dominorum, Prælatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, clementer admissa, præfatos vniuersos & singulos Art: Nobis, ut præmissum est, præsentatos, præsentibus literis Nostris, de verbo ad verbum insertos, & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolumq; pariter & assensum præbuimus ac illos & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus. Offerentes Nos clementer, quòd præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & Articulis, tàm Nos ipsi obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos Nostros, cuiuscunq; Status & Conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus. Harum Nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, vigesima tertia die Mensis Aprilis, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Nonagesimo nono. Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo quarto, Hungariæ & aliorum vigesimo septimo, Bohemiæ verò Anno similiter vigesimo quarto.

NOS RVDOLPHVS SECVNDVS, *Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus Tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis, quod fideles Nostri Domini Prælati, Barones, Magnates, &c. Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni Nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum congregatione, per Nos eis ad festum purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, siue ad secundum diem proximè præteriti Mensis Februarij, Anno Domini præsenti, Sexingentesimo supra Millesimum indicta, hac in Ciuitate nostra Posoniensi ad mandatum Nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerunt Nobis medio Serenissimi Principis Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. Fratris nostri charissimi, qui scilicet nostra in persona dicto generali conuentui præfuit, infra scriptos Articulos, in eodem Conuentu, communibus ipsorum votis & suffragijs pariq; & vnanimi consensu*

conclusos: supplicantes Nobis humiliter, vt omnes & singulos eos Articulos, omniaq́; & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, Nostrumq́; Regium consensum illis præbentes, Authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, ratificare & confirmare, atq́; tàm nos ipsi obseruare quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM PRAELATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE STATVVM ET ORDINVM REGNI HVNgariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Congregatione, ad festum Purificationis gloriosissimæ Dei Genitricis Virg: Mariæ, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo indicta, Posonijq; celebrato, conclusi.

Præfatio, in qua Status & Ordines Regni pro continuo hucusq́; bello, Maiestati suæ Cæsareæ humiliter gratias agunt, illudq́; prosequi demisse petunt.

Art. I.

Lecta sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis, Domini Nostri clementissimi propositione, sub præsenti generali Diæta huius Regni Hungariæ, ad festum Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, proximè præteritum, promulgata, per Serenissimum Archiducem Matthiam, &c. Dominum itidem Nostrum clementissimum, fidelibus Statibus & OrdinibusRegni exhibita, non potuerunt ijdem Status, non ingenti perfundi lætitia, quod suam Maiestatem Cæsaream atq; Regiam, pro immensa sua erga hoc afflictum suum Regnum pietate, totis viribus in eo laborare, ex ipsa cognouerunt, vt sui fideles, post tot continuorum bellorum fluctus, tandem ad quietum tranquillumq; exoptatæ pacis portum peruenirent; In quo assequendo, nihil dubitant Status, suam Maiestatem, hactenus nedùm proprijs Dominijs & Regnis, sed nec sacri quoq; Romani Imperij Thesauris quicquam pepercisse, summèq; enixam esse, vt ad maximè hoc Regnum Vngariæ aliquando à Iugo Tyrannico liberatum, pristino suo statui restitueretur. Pro qua suæ Maiestatis benignitate & promptitudine, priuati Status & Ordines Regni suæ Maiestati ingentes agunt gratias, & petunt humiliter, vt ea sicut incepit benè de optimo inchoati belli Statu sperare, ita clementer perseuerare dignetur, vt si forte cum Tyranno pacisci commode non possit, nullis nec expensis nec viribus parcat vt ipsa regnante, tandem fœlicibus Auspicijs orbis Christianus omni turba & inquietudine se liberatum esse gratulari possit.

Serenissimum Archiducem Matthiam &c. Diætis & bellis præfectum gratulandi, summúq́; obsequendi studium eius Serenitati status Regni demisse offerunt.

Art. II.

Quod autem Serenissimum Archiducem Matthiam, &c. Fratrem suum charissimum, non modo nunc & superioribus Annis Diætis his Vngaricis, sed etiam bellis, hactenus præficere dignata est; id sanè Statibus & Ordinibus Regni, simili modo tàm est gratum, quàm quod gratissimum, & sicut hactenus suæ Serenitati pro eorum humilitate libenter obsecundati sunt, ita se posthac quoq; idem facturos pollicentur.

Subsidium vnius floreni Hungarici de singulis domibus colonicalibus & Inquilinarijs, in duobus terminis exigendum offertur: cui quilibet Dominorum terrestrium quinquaginta denarios Hungaricos addere debeat, deq́; modo exactionis huius subsidij, quoue conuerti debeat. Art. III.

Subsidij petiti negotium quod concernit, Statibus & Ordinibus Regni nihil esset gratius, quam si votis non modo proprijs, sed & suæ Maiestatis respondere possent; verum persuasum sibi habeant sua Maiestas, tot annorum bellis, Tartarorum & Turcarum

earum vastationibus & militum infinitis & in explicabilibus oppressionibus & expilationibus, hasce reliquias in eam paupertatem & angustiam redactos esse, ut si diutius ista durent, possibile non sit, vt perferri possint, & ipse reliquiæ non exterminentur. Accedunt his quæ suæ Maiestati & suæ Serenitati iam multoties abundè declarata sunt, Iumentorum vtpotè lues, sterilitas annorum proximorum & pestis, quæ passim in Regno grassata est, & adhuc grassatur, quæ incolas harum reliquiarum ad eam paucitatem & egestatem adduxerunt, vt vix amplius pristina Regni facies appareat, & multi mendicando vitam quærere & ducere cogantur. Quæ etsi hoc modo sese habeant, nihilominus tamen, vt benignè suæ Maiestatis voluntati & postulationi, quantum possunt, satis faciant, & ne videantur sibi ipsis penitus defuisse. Offerunt pro continuatione belli, pro hoc anno, à singulis domibus colonicalibus & Inquilinarijs, de nouo propter combustas & per Turcas ac Tartaros & pestilentiam vel aliomodo (si fraude tamen) desertas & desolatas, rectificandis, vnum Florenum Vngaricum, duobus terminis, vtpotè pro festo sacri Pentecostes, & S. Iacobi Apostoli exigendum, atq; ad Cameram suæ Maiestatis assignandam. In cuius exactione & rectificatione quoq; ipsarum domorum is modus & ordo obseruabitur, qui anno Millesimo, Quingentesimo Nonagesimo octauo, obseruatus fuit, & in Art: quarto specificatus est. Cui quidem uni floreno addet quilibet Dominorum terrestrium, Quinquaginta denarios Vngaricos, ac huic oneri ferendo, iuxta constitutiones Anni Nonagesimi septimi, Art: quarto non modo vniuersa Maiestatis suæ bona, tàm Ecclesiastica, quàm Secularia in quibuscunq; Comitatibus sita, sed vniuersi etiam & singuli alij, constitutionibus annorum Nonagesimi sexti, Art: decimo, & decimo quinto; Item Nonagesimi septimi, Nonagesimi octaui, & Nonagesimi noni, in specie designati, subiecti esse debeant, simulq; iuxta constitutionem anni Nonagesimi noni, Art: Nono, tredecim quoq; Scepusiensia Oppida contribuant. Eodem quoq; modo Montanistæ, qui in Mineris laborant, contribuant iuxta superiorum Annorum Constitutiones. Hoc declarato, vt vtrumq; quidem præmissum subsidium, tàm videlicet colonorum, quàm etiam Dominorum terrestrium, & taxæ, Nobilium & aliarum personarum per homines Cameræ suæ Maiestatis, ad id in quolibet Comitatu eligendos exigatur; Quinquaginta tamen denarij, nec non taxæ Nobilium ad Cameram non dentur, vt ea in parte Nobilitatis prærogatiua non violetur, sed in partibus Cis & Vltradanubianis, Domino Ioanni Ioo, personali præsentiæ, administrentur, in superiori autem Hungaria ad manus Domini Georgij Bornemizza de Kalno, qui intra belli tempus apud ipsius Cameras resideant, & diligenter fideliterq; curent, vt hæ pecuniæ, modo prædeclarato exactæ, in nullos alios usus, quàm Campestris exercitus Vngarici, ad dispositionem suæ Maiestatis, per Dominos supremos Capitaneos Hungaros sicut Anno præterito factum fuit, conductionem & conscriptionem ac solutionem erogentur. In superiori Hungaria possent procurare hanc militum conductionem, Domini Sigismundus Forgach, Sebastianus Thekeolij, Paulus Melith, & Ioannes Kerekii. hunc verò Art: Maiestas sua Cæsarea ac Regia pro hac sola vice clementer acceptando, admittit, nolens, vt deinceps vllo vnquam tempore in consuetudinē talis diuisa Dica exactio veniat, aut hic Articulus pro exemplo allegetur.

De militum Lustratione. ART. IIII.

Magistris verò Lustrationum suæ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis, liberum semper sit, singulis Mensibus, aut quando libuerit, lustrationem facere.

De Salario Cameris adiunctorum, deq; modo dandæ per eos rationis.

ART. V.

Quæ quidem prænominatæ Cameris adiunctæ Personæ, ex præmissa pecunia pro salario, quælibet earum in toto trecentos Florenos Hungaricos habeat & accipiat. Quibus exactores ipsorum subsidiorum ex quolibet Comitatu Regestra domorum & taxatorum, sigillis ipsorum Comitatuum communita assignent, quo iuxta eorum continentias,

tinentias, de præmissis subsidijs, iustam rationem tenere, & suo tempore reddere etiam possint.

De Vicecomitum circa exactionum subsidiorum officio, deq́ negligentiæ eorum pœna.
ART. VI.

Vice Comites & Iudices Nobilium in exactione subsidiorum, iuxta antiquam consuetudinem debitum officium facere teneantur, qui sua Salaria habeant more antiquo; & ideo, si negligentes, aut pecuniam exactam apud se reseruasse comperti fuerint, euocentur per Directorem suæ Maiestatis extra omnes terminos, in præsentiam Domini Locumtenentis suæ Maiestatis, & in solutione tripli conuincantur. Cuius sententiæ executio fiat contradictione, inhibitione & repulsione non obstante. In Regno autem Sclauoniæ Dominus Banus exequatur.

Quantum Turcis subiecti & Sclauonia soluere, & quo illius subsidium conuerti debeat. ART. VII.

Turcis subiecti & Sclauonia dimidium soluant: Sclauonia verò subsidium eidem Regno pro defensione Colapis relinquatur: vbi Perceptor sit Stephanus Beriżlauich, qui de perceptis & expensis Cameræ Posoniensi liquidas rationes exhibere teneantur.

De Contumacium, qui superiorum Annorum Constitutiones non obseruarunt, pœna. ART. VIII.

Contra eos qui gentes suas, superioribus Annis in bellum non expediuerunt, vel eas usq; ad terminum præfixum non intertenuerunt, aut tempore lustræ non statuerunt, vel è Castris distraxerunt & reuocauerunt, atq; etiam Dominos terrestres, qui militem ex quinquaginta denarijs oblatum non statuerunt, aut Dicam non soluerunt, vel penes personam suæ Serenitatis, Anno Nonagesimo octauo personaliter non insurrexerunt: Vtatur sua Maiestas Authoritate Articulorum, de his annis superioribus sancitorum. Hoc addito, vt tales Contumaces, extraordinariè etiam, quandocunque suæ Maiestati placuerit, in præsentium Domini Locumtenentis, aut alicuius alterius Iudicis Ordinarij citare, & conuicti, statim debita pœna affici possint.

Subsidium quatuor Comitatuum ante Transsiluaniam Existentium, quonam conuertendum. ART. IX.

Subsidium Comitatuum Bihar Maramoros, Krazna & Zolnok, ad intertentionem militum, Varadiensium, vel quocunq; necessitas postulauerit, conuertatur.

De militari stipendio & Castris profugis deq́ diuersa stipendia merentibus, superiorum Annorum constitutiones seruandæ.
ART. X.

De stipendio militari & seruitoribus, qui inuitis eorum Dominis clam Castris excesserunt, vel diuersa stipendia acceperunt, seruentur Constitutiones Annorum superiorum pœnaq; in Transgressores, ibidem Sancita animaduertatur.

De exigenda à Perceptoribus Publicorum subsidiorum, vel eorum hæredibus, per Cameras suæ Maiestatis Cæsareæ ratione. ART. XI.

Cæterum vt à Perceptoribus publicorum subsidiorum, eorumque hæredibus, à quibus nimirum ratio exacta nondum est, statim sufficiens & solita ratio exigatur, iustum est. Eam itaque Cameræ suæ Maiestatis Posonij & Cassouiæ, ex debito sui officij in effectum deduci, & restantias exigi curabunt. Si qui verò ex ijsdem, contumacia ducti, comparere noluerint, vel verò comparentes conuicti fuerint, eos sua Maiestas, in Articulis præcedentium Annorum designato modo, puniendi habeat authoritatem.

De

De generalis insurrectionis modo & oblatione à quatuor portis vnius peditis pixidarij. ART. XII.

De generali insurrectione, referunt se ad Articulum vigesimum secundum Anni Nonagesimi Noni. Ne tamen fideles Status & Ordines, hac in parte quoq; suo officio deesse videantur: offerunt à singulis quatuor portis (sicut anno præterito factum fuit) vnum peditem bombarda munitum, ad vnum Mensem ab ingressu ad Castra numerando, se missuros. Quod si autem suam Maiestatem Cæsaream in Castra descendere contingat, accommodarunt se antiquis eorum consuetudinibus.

De victualium vectura & constituendis annonæ Magistris.
ART. XIII.

Certam vecturam victualium promittere Status non possunt, propter penuriam, annonæ & defectum iumentorum. Si tamen Deus opt: max: Messem fertilem aut saltem non planè sterilem dederit, sperant Status, quod non deerunt Regnicolæ, qui pretio, quantum fieri poterit victualia conuehent, dummodo eundo & redeundo non impediantur, & pretium soluatur. Nec aduersantur ipsi Status vt sua Maiestas de Idoneis annonæ Magistris prospicere possit.

Vecturam bombardarum & aliarum munitionum bellicarum, ciuitates præstent.
ART. XIIII.

Bombardarum & aliarum munitionum bellicarum vecturas, ex inueterata legum consuetudine ciuitates præstabunt. Quia verò huic oneri sufficere non possunt: sua Maiestas ad supplendum defectum aliundè prouidere dignabitur.

Ad confiniorum restaurationem, sex dierum gratuiti labores decreti.
ART. XV.

Pro Reparatione & restauratione Confiniorum, offerunt Status & Ordines Regni, sex dierum labores gratuitos: atq; hoc loco renouatur Articulus Anni superioris, de his gratuitis laboribus editus. Ad diuersa verò loca & Confinia coloni non distrahantur aut compellantur, non enim sufficiunt ad omnes partes.

Canisæ, Onod & cæteris Confinijs, de structura & militibus prouidendum.
ART. XVI.

Vt Canisano, Onodiensi & cæteris Confineis, de structura & militibus prouideatur, summè est necessarium, ne illis (quod Deus auertat) amissis, cæteræ Regni reliquiæ cum illis periclitentur.

Ex quibus Comitatibus, pro fabrica, ligna & robora peti debeant.
ART. XVII.

Comitatus Thurocz, Liptho & Arua, pro fabrica ex syluis ipsorum Cæduis, robora cædi permittant, ac superindè renouatur Articulus vigesimus secundus, Anni sexagesimi tertij: ita tamen, vt non de vicinis solum, sed de remotioribus etiam syluis, ipsa lignorum & roborum sectio, intelligatur.

De viarum reparatione. ART. XVIII.

De reparatione viarum, renouatur Articulus Tricesimus, Anni superioris Millesimi, quingentesimi, Nonagesimi Noni.

Quomodo Insolentiæ itinerantium militum quas adiunctis eis Commissarijs inferunt, caueri, & priores Commissarij minus fideles, puniri debeant. ART. XIX.

Ad cauendas insolentias atq; iniurias per milites itinerantes, Commissarijs, ijsdem pro deductione adhibitis, fieri solitas, sua Maiestas efficere dignabitur, vt supremis, alijsque Capitaneis, sub grauissima pœna seriò demandetur, ne milites pro eorum arbitrio excurrere patiantur, sed Commissariorum deductioni pareant. Quia verò præteritorum annorum Commissarij perperam & minùs fideliter se in

eorum officio gessisse dicuntur; statutum est vt ij, per Directorem Causarum suæ Maiestatis iure extraordinario in præsentiam Domini Locumtenentis euocentur,& debita pœna officiantur,quandocunq; sua Maiestas voluerit.

De cohibendis à condescensione in domos & curias Nobilium ac Dominorum Prælatorum, Magnatum, & Ecclesiasticarum Personarum, militibus & qualiter ab eisdem læsis, satisfactio impendi, ac de vagis militibus, qui articuli obseruari debeant. ART. XX.

Item statutum est vt miles in Curias Nobilium, nec non Dominorum Prælatorum ac Magnatum & Ecclesiasticarum Personarum, non condescendat,iuxta constitutiones publicas superiorum annorum. Si qui autem milites præda exercentes miseramq; plebem diuexantes, & opprimentes comperti fuerint,illi ad instantiam læsorum per supremos Capitaneos, sub amisione officij, statim & defacto debito modo puniantur,damna verò illata ex emeritis eorum stipendijs damnificatis resartiantur irremissibiliter. De vagis autem militibus equestribus & pedestribus, renouantur Articuli Constitutionum præteritorum Annorum.

De moneta Polonica extirpanda. ART. XXI.

De moneta Polonica, renouantur Art: Anni Millesimi,quingentesimi,septuagesimi quarti, Articulo vigesimo; Item Anni Millesimi,quingentesimi, sexagesimi noni, Art: decimo octauo.

Quomodo contra Michaëlem Thlekessij Iure procedi debeat. ART. XXII.

Præterea, quia sacra Cæsarea Regiaq; Maiestas, contra Michaëlem Thelekessij de Debrethe & in Lednicze grauiter conqueritur de eo,quod ipse ante paucos dies,assumptis secum certis seruitoribus suis & colonis nulla publicæ pacis & salui conductus suæ Maiestatis ratione habita, armata manu, in Regia & publica violenter & prædonicè in currus suæ Maiestatis ex Transiluania venientes irruisset, resq; suæ Maiestatis cum specialibus literis, diuersi generis, in eisdem curribus existentes,distraxisset, abstulissetque & in prædam conuertisset: ideò statutum est,vt sua Maiestas Cæsarea atq; Regia dictum Michaelem Thelekessij, tanquam publicum malefactorem, & manifestum prædonem nec non salui Conductus violatorum, statim in præsentiam Reuerendissimi Domini locumtenentis, vel alterius Iudicis Ordinarij, citare, & contra eum,per modum turbationis prouentuum Regiorum Iure extraordinario procedere,latamq; sententiam exequi facere statim & de facto posit. Qui vna cum suis complicibus, personaliter,& non per procuratorem comparere teneantur.

De querelis contra Dominam, quondam Christophori à Teuffenbach, eiusq; filium Georgium Homonaij motis, & quomodo contra illos procedendum sit. ART. XXIII.

Conquesti quoq; sunt sex Comitatus apud Status & Ordines Regni grauiter,contra generosam Dominam Euphrosinam Doczij, relictam Magnifici quondam Christophori à Teuffenbach,eiusdemq; filium Magnificum Georgium Homonaij, de diuersis violentijs, quas contra Nobilitatem exercent; signanter autem contra Egregios Petrum Zokolij & Simeonem Banoczij, ac alios quàm plurimos exercuerunt. Ideo statutum est vt contra illos procedatur tanquam contra eos, de quibus publicæ querelæ fieri consueuerunt.

Reuisio metarum inter Hungariam, Austriam & Poloniam controuersarum, iterum instituta. ART. XXIIII.

Differentiæ ratione metarum inter Austriam & Hungariam,nec non Poloniam & ipsam Vngariam exortæ,vt per Commissarios tandem reuideantur, ac ipsæ metæ rectificentur, statutum est, iuxta priorum annorum constitutiones.

De

De executionibus Comitatuum Bihar, Maramoros, Crazna & Zolnok, mediocris, deq; sigillo eorum. ART. XXV.

In Comitatibus Bihar, Maramoros, Krazna, & Zolnok mediocris, fiant executiones prout illæ sub Wayuoda Transsiluaniæ factæ sunt, interim, donec pacatiora tempora fuerint, & impetrent sigillum à sua Maiestate.

De intertenendis in Conuentu Lelezienſi neceſſarijs Sacerdotibus. ART. XXVI.

Item statutum est, vt in Conuentu Ecclesiæ S. Crucis de Lelez, Sacerdotes pro executionibus necessarijs, sufficienti numero intertenenantur, conqueruntur enim Regnicolæ, vix vnum Sacerdotem ibi nunc esse.

De conſeruando Regno Sclauoniæ in ſuis libertatibus & authoritate Banali. ART. XXVII.

Regnum Sclauoniæ sua Maiestas Cæsarea in suis libertatibus & authoritatem Banalem in expeditionibus & insurrectionibus conseruare dignetur.

Vt milites externi in Vngaria & Sclauonia non conducantur, inſtruentur, & ablicentientur. ART. XXVIII.

Dignetur quoq; sua Maiestas facere, ne externi milites in hoc Vngariæ Regno conducantur, vel etiam ablicentientur, sicuti se sua Serenitas, istud apud suam Maiestatem, & per se etiam effecturam, clementer obtulit. Idem fiat etiam in Regno Sclauoniæ.

Wolffangus Vnuerzagt vna cum filio Ioanne Chriſtophoro Vnuerzagt in Hungarum recipitur. ART. XXIX.

Postremo, quoniam sacratissima Cæs: Reg: Maiestas, Dominus noster clementissimus Magnificum Dominum Wolffgangum Vnuerzagt, Dominum in Ebenfurt, Petronel, & Regelsprun, suæ Maiestatis Cæsareæ Consiliarium Imperialem Aulicum, ob singulares eius virtutes animiq; dotes, ac diuturna & fidelia seruitia, sua clementi intercessione, â Statibus & Ordinibus, in membrum & incolam eiusdem Regni sui Hungariæ assumi & cooptari voluit. Ideo fideles Regni status vt suæ Maiestatis Cæsareæ & Regiæ benignæ voluntati obsequenter satisfaciant, ac ob respectum etiam singularis beneuolentiæ & studij, quo ipsum Dominum Vnuerzagt, in Nationem & Rempubl: Hungaram â multis iam annis affectum esse, in promouendisq; eius negotijs vigilantem & sedulam operam nauasse perspexerunt. Eundem, vna cum filio suo Magnifico Ioanne Christophoro Vnuerzagt in numerum & consortium suum acceptauerunt & cooptauerunt, ac superindè solitum Iuramentum ab eis receperunt. Sperantes ipsos bonos & desideratos Patriæ amatores & Ciues futuros, ac sicut inceperunt, benè de Hungaria mereri, ita deinceps quoq; conceptæ de ipsis expectationi vltro semper satisfacturi sunt.

CONCLVSIO.

NOs Itaq; præmissa supplicatione fidelium subditorum Nostrorum, Dominorum, Prælatorum, Baronum, Magnatum, ac Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni Nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos Articulos, Nobis vt præmissum est, præsentatos, de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem Nostrum Regium consensum beneuolumq; pariter & assensum præbuimus. atq; illos & quæuis in eis contenta authoritate Nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimus & confirmauimus. Offerentes nos clementer, quòd præmissa omnia in omnibus punctis, clausulis & Articulis, tâm Nos ipsi obseruabimus, quàm per omnes alios fideles subditos nostros, cuiuscunque Status & Conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approba-

approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum vigore, & Testimonio literarum. Datum in Ciuitate Nostra Regia Pilsna, Quinta Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo Sexingentesimo, Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo, Hungariæ & aliorum vigesimo octauo, Bohemiæ verò, Anno similiter vigesimo quinto.

NOS RVDOLPHVS secundus, Dei gratia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod fideles nostri domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Vngariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum Conuentu siue congregatione, per nos, ad festum Conuersionis B. Pauli Apostoli, hoc est vigesimum quintum diem proximè præteriti mensis Ianuarij, Anno præsenti, Millesimo, Sexcentesimo primo, eis indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis, medio Serenissimi Principis Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. Fratris nostri charissimi, qui scilicet nostro nomine ac in persona dicto generali conuentui præfuit, infrascriptos Articulos, in eodem conventu, communibus ipsorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos: Supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos Articulos, omniaq; & singula in eisdem contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, nostrumq; Regium consensum illis præbentes, autoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, roborare & confirmare, atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE STATVVM ET ORDINVM REGNI HVNgariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Conuentu, pro festo Conuersionis B. Pauli Apostoli, siue vigesimo quinto die Mensis Ianuarij, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo primo, indicto, Posonijq; celebrato, conclusi.

PRÆFATIO, in qua Status & Ordines Regni, pro pia ac benigna consolatione, Maiestati suæ Cæsareæ humiliter gratias agunt, seq; etiam deinceps non deseri, demissè petunt.

ART. I.

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis, domini nostri clementissimi Propositiones per Serenissimum Principem ac dominum Matthiam, Archiducem Austriæ, &c. dominum itidem nostrum clementissimum, Statibus & Ordinibus afflicti Regni Hungariæ, exhibitas, ijdem Status humillimè intellexerunt; vbi sua Maiestas Cæsarea atque Regia, de non despondendis, sed potiùs meliori spe sustentandis animis, eos benignè consolatur, ea non mediocri solatio eisdem Statibus fuere, atque ipsi pro eiusmodi pia Maiestatum suarum erga ipsos cura & studio, immortales agunt gratias: Obsecrantes easdem humilimè, ne in his ærumnis & periculis ipsos Status deserere, neuè eandem curam & solicitudinem, ipsorum conseruandorum, intermittere, sed potius magis ac magis, suos omnes conatus eò dirigere dignentur, vt ipsi ex tot tantisq; miserijs, ope & auxilio Maiestatum suarum emergere, & sese erigere, suisq; Maiestatibus publicè & priuatim inseruire possint.

Subsidium unius & dimidij floreni Hungarici, in duobus terminis exigendum, offertur, deq; modo exactionis & solutionis eiusdem, & qui huic oneri ferendo, subiecti esse debeant.

ART. II.

Quantum itaq; ad Propositionum Articulos attinet, ne Status & Ordines in tantis angustijs extremoque patriæ & fortunarum discrimine, sibi defuisse videantur; Offerunt ad bellicam præsentis Anni expeditionem, florenum vnum cum dimidio, de singulis domibus, tam colonicalibus, quàm inquilinarijs, debita rectificatione domorum, per Vicecomites & alios homines Comitatuum in Sedibus, præsente Dicatore suæ Maiestatis, more aliàs consueto, facienda, interueniente, habitaque miserabilium personarum compotentu ratione; vnum quidem integrum, à subditis exigendum, dimidium verò florenum, per dominos terrestres soluendum, duobus nempè terminis, pro dimidia parte, in festo Diui Georgij, pro altera verò, Sancti Ioannis Baptistæ, proximè venturo, ad Cameram suæ Maiestatis, per manus Dicatorum Regiorum numerandos: Ea tamen solenni interiecta cautione, ne hæc per dominos terrestres Nobilitatemque præstanda Contributio, in præiudicium prærogatiuæ Nobilitaris vllo vnquam tempore vergat. Huic autem oneri ferendo, quantum portionem colonorum concernit, secundum Constitutionem Anni Nonagesimi septimi, Articulo tertio comprehenduntur, non modo omnia Maiestatis suæ bona, tàm Ecclesiastica, quàm Secularia, in quibuscunque Comitatibus sita, sed vniuersi etiam alij, Constitutionibus Anni Nonagesimi quinti, & reliquorum sequentium annorum, in specie designati, demptis duntaxat combustis ac penitus desolatis Villis & Sessionibus, quæ more solito exemptæ habeantur. Tredecim quoque Oppida Scepusiensia teneantur liberaliter in medium Regnicolarum contribuere.

Quantum Sclauonia Turcisq; subiecti soluere, & quo illorum & quatuor Comitatuum Antetransiluaniam sitorum, Subsidium conuerti. quiuè præterea in Sclauonia in medium Regnicolarum contribuere debeant. ART. III.

Sclauonia & Turcis subiecti, contribuent pro media parte, vt anno superiori. In Sclauonia autem & Comitatibus Bihariensi, Zolnok mediocri, Krazna, & Maramorusiensi, sicut præteritis annis, Dica in earum partium defensionem conuertatur, Dicatoribus per Cameram constitutis. Arcis verò Kapronicza pertinentiæ, nec non omnes Nobiles ac coloni & inquilini, qui post recuperatas ab hostibus Turcis Arces Petrina & Sciscio, inter flumina Saui & Colapis resederunt & sedes suas fixerunt, instar aliorum Nobilium & colonorum, sine vlla difficultate & exceptione, contribuant in Sclauonia in medium Regnicolarum, iuxta priorem illius Regni & consuetam Portarum connumerationem.

De modo dicationis & taxationis domorum & personarum, ac quo subsidium oblatum & Taxa liberarum Ciuitatum conuerti, milesq; hac pecunia conductus, à quo dependere debeat.

ART. IIII.

In domorum verò & personarum dicatione & taxatione obseruetur Articulus tertius, Anni superioris & reliquorum annorum ad quos ille dirigit; Subsidium verò hoc modo oblatum, non in alios vsus, quàm Campestris exercitus Hungarici conductionem, conuertatur; neq; miles hac pecunia conducendus, imperio alterius cuiuspiam externi Capitanei, subiectus sit, sed à Capitaneis Hungaris Supremis, immediatè dependeat, ex dispositione suarum Maiestatum. Hi tamen

Hungarici Supremi Capitanei, habeant correſpondentiam cum Generali belli Duce. Taxæ quoq; liberarum Ciuitatum, more aliàs conſueto per Cameram exigendæ, in præſentes vſus bellicos conuertantur.

De educendis tempeſtiuè in campum militibus, ſub Banderio Regio exiſtentibus, vna cum alijs gentibus Maieſtatis ſuæ Cæſareæ, deq; Confiniorum præſidiarijs pleno numero intertenendis.

ART. V.

Supplicant hoc loco Status & Ordines Maieſtati, vt una cum aliis gentibus, milites ſub Banderio Regio exiſtentes, tempeſtiuè, ad primum videlicet diem menſis Maij, in campum educere, milites Confiniorum Præſidiarios integro numero intertenere, ac augêre potiùs, quàm diminuere, omneſq; ſuas vires hinc indè diſperſas, in vnum locum colligere dignetur, vt priusquàm hoſtes ex Aſia, aliiſq; remotioribus locis conueniant, noſtri coniunctis viribus, aduerſus limitaneos & fortè imparatos hoſtes memoratu quæq; digna gerere, ac ſi hoſtem numeroſo cum exercitu maioribusq; copijs Regnum inuadere, vel locum aliquem magni momenti, obſidere contingat, ipſi melius & commodius occurri, & vires eius facilius conteri poſſint.

Quomodo diminutiones Contributionum, aliaq; ea in re fraudes, caueri debeant.

ART. VI.

Ad cauendas Contributionum diminutiones, fraudesque indè non rarò ſubuenientes, contra eos, qui exactionem Subſidij de ſuis bonis admittere recuſarent, & modo quoque rectificationem fieri non permitterent; renouatur Articulus decimus tertius. Anni Milleſimi, Quingenteſimi, Nonageſimi noni, ea de re editus. Similiter etiam Articulus ſextus, Anni Milleſimi, Sexcenteſimi, contra Vicecomites & Iudices Nobilium, in exactione Subſidiorum negligentes, aut pecuniam apud ſe reſeruantes, emanati; Item Articulus triceſimus primus, Anni Milleſimi, Quingenteſimi, Quadrageſimi, octaui, contra Dicatores, qui ſe in adminiſtratione fraudulenter geſſiſſe comperti fuerint.

Vt ratio de Contributionibus anni præteriti, à Cameris, eiſq; adiunctis, per Deputatos à Statibus Regni, exigatur, quouè Reſtantiæ repertæ, conuerti debeant. ART. VII.

De Contributionibus Anni præteriti, Cameræ, & Cameris adiuncti, anteà ſcilicet denominati, ſub præſenti adhuc Diæta, reddant rationem coràm quatuor perſonis, partim ex dominorum Prælatorum & Magnatum, partim verò Nobilium ordine denominandis, quibus adijciatur pro arbitrio ſuæ Serenitatis aliqua ex Aula idonea perſona. Pro his inferioribus Regni partibus, nominantur ex ordine dominorum ad exactionem iſtarum rationum, Reuerendiſſimus dominus, Matthias Draſcouith, Epiſcopus Tininienſis, & Magnificus dominus Georgius Turzo: ex ordine verò Nobilium, Thomas Vvizkelethij & Nicolaus Bogadij: Pro ſuperioribus Regni partibus, nominantur, Reuerendiſſimus dominus Georgius Zalathnokij, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, Magnificus dominus Nicolaus Dersffij, item Sigiſmundus Paczoth & Caſpar Varſadij. Reſtantiæ autem, ſi quæ per dominos rationum exactores repertæ fuerint, dentur omnes ad Cameras ſuæ Maieſtatis ad conductionem militum præſentis anni, quæ præfatos pecuniarum exactores ſufficienter quietare teneantur.

Qui nam Articuli in Luſtrationibus, & in quantitate militarium ſtipendiorum non excedenda, obſeruandi ſint.

ART. VIII.

In

IN Lustrationibus & quantitate stipendiorum non excedenda, obseruentur Articuli Annorum, Nonagesimi quinti, Nonagesimi sexti & Nonagesimi noni, ne videlicet eques, ratione currus & stipendij, plus quàm sex, pedes verò, supra tres florenos accipere ausit, sub pœna in transgressores Articulis illis expressa.

De generalis Insurrectionis modo & ordine, qualiter ab omnibus Statibus & hominibus obseruari debeat. ART. IX.

PERSONALEM insurrectionem quod concernit: Etsi Status & Ordines sufficientes rationes haberent, sese ab ea excusandi, nihilominus tamen, ne detrectare videantur clementem suæ Maiestatis & suæ Serenitatis hac in re factam instantiam; Statutum est, vt penes personam alterius ex Serenissimis fratribus suæ Maiestatis, si in Castra descensuræ sint, quilibet dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium personaliter insurgat, & penes suam personam, de singulis viginti domibus, vnum equitem, benè armatum secum in Castra accipiat, & per integrum mensem, in Castris, penes suas Serenitates maneat. Si verò fortè suæ Serenitates in Castra non sint descensuræ, tunc statutum est; vt ad requisitionem suarum Serenitatum, vel Generalis belli Ducis, de singulis tribus portis, vnus pedes benè, bombarda & armis instructus, mittatur, & per mensem in Castris intertenetur, incipiendo à die, quo Castra ingreditur, sub amissione bonorum suorum, communi æstimatione redimendorum. Dignentur autem suæ Serenitates, in casu talis insurectionis, benignam rationem habere, præfatarum penes suas Serenitates leuatarum gentium, ne videlicet eo modo, quo sub Buda nuper factum est, ipsa Nobilitas tractetur, sed eis competens honor tribuatur. Ægroti verò, nec non senes & viduæ, ac ad bellum inhabiles, mittant suo loco alios idoneos; Pauperiores porrò Nobiles tres, limitatione Comitis & Vicecomitis præcedente, mittant vnum peditem, vel quinq; vnum equitem. Cæteri opulentiores, in equis proficiscantur. Nobiles præterea, seruitijs suæ Maiestatis, aut quorumcunque dominorum addicti, teneantur pro ipsorum personis, modo supra declarato, alios idoneos mittere.

Intimatio generalis Insurrectionis tempestiuè & per quos fieri, quidue circa illam obseruari debeat ART. X.

HVIVS verò personalis insurrectionis intimatio, fiat tempestiuè per suas Serenitates, vel Supremos huius Regni Capitaneos Hungaros, correspondentes cum Generali belli Duce: In qua insurrectione illud etiam obseruari debebit, vt ad remotiora loca, ipsi Regnicolæ non abducantur, nedum ipsi à suis domibus procul absunt, domi interea miles damna inferat, vel hostis excursione facta, depopulationes faciat, sed eorum potissimùm opera vtantur suæ Serenitates, qui Castris Turcicis propinquiores erunt. Et hæ omnes gentes, præcisè suarum tantum Serenitatum & Supremorum Capitaneorum Hungarorum imperio, modo supra declarato, subsint.

De gentium Lustratione, quando illa fieri, & quomodo se domini, ac in diuersis Comitatibus bona habentes, in Insurrectione generali gerere debeant. ART. XI.

LVSTRATIO præmissarum gentium, fiat in quolibet Comitatu, vno eodemque tempore. Quicunq; autem dominorum, numerum quinquaginta equitum non habuerit, subsit Banderio generali Comitatus; Eos verò, qui in diuersis Comitatibus bona habent, sufficit in eo tantum Comitatu insurgere, vbi suas residentias personales faciunt, aut officiolatus habent.

Quomodo Sclauoniæ insurgendum sit: ART. XII.

SCLAVONIA insurgat in sui defensionem, more eius Regni consueto.

In re Annonaria administranda, Regnicolæ id quod poterunt præstare, non recusabunt. ART. XIII.

AD rem Annonariam quod attinet, nullam eius administrandæ ex hoc Regno spem dari posse, Sterilitas Annorum superiorum docuit. Magister tamen suæ Maiestatis Annonarius, si sedulò ac tempestiuè frumentum & pabulum, vsibus Castrorū necessarium, peruestigauerit, non recusabunt Regnicolæ, quihabuerint, tàm victualia in Castra conuehere, dummodò vectores nō molestentur, iuxta Articulum decimum tertium, Anni Millesimi Sexcentesimi, tùm etiam competenti precio, Magistro Annonæ complacere, & publicæ necessitati subuenire.

De pœna in desertores Castrorum stipendiarios, & in eâ debito tempore non perseuerantes. ART. XIIII.

DE pœna in desertores stipendiarios Castrenses, vel debito tempore in eis non perseuerantes Articulus tricesimus primus, Anni Nonagesimi octaui, hoc addito, quod idem Capitaneus, cui subiectus in Castris talis stipendiarius desertor fuerat, eum etiam bello soluto, capere, & causa cognita, punire possit.

Quomodo à Perceptoribus publicorum Subsidiorum, & eorum hæredibus, de Restantijs ratio exigi debeat. ART. XV.

RENOVANTVR etiam Constitutiones proximorum Annorum, de restantijs quorumlibet Subsidiorum publicorum, à Perceptoribus & eorum hæredibus, per Cameram suæ Maiestatis exigendis; ita nempè, vt si ad reddendas rationes, ad Cameram citati, non comparuerint, vel comparentes, conuicti fuerint, triplum restantiarum soluant, solutionem recusantes, in personis tàm diu detineantur, donec satisfactionem impenderint.

Nominatio Magistrorum Annonæ, Maiestati suæ Cæsareæ; libera relinquitur. ART. XVI.

DE tribus Magistris annonæ ex Hungaris nominandis, Articulis decimus tertius, Anni proximè transacti, benigno suæ Maiestatis arbitrio relinquitur.

Eductio omnis generis frumenti victualium extra Regnum, seriò interdicitur. ART. XVII.

EDVCTIO frumenti, siliginis, auenæ, hordei & aliorum victuallum extra Regnum, sub pœna confiscationis, per Tricesimatores vel quoduis alios deprhensores fiendæ, interdicta esto.

Comitatus Castriferrei, vt tàm præteriti quàm præsentis anni Subsidiorum restantias, facta rectificatione, soluat. ART. XVIII.

ITEM, quandoquidem in Comitatu Castriferrei nil ex Subsidio anni præteriti administratum est; eam ob rem causam huius defectus, sua Maiestas, vel sua Serenitas inquirendam committat: Et nihilominùs facta rectificatione, tàm superioris quàm præsentis anni restantias, iuxta rectificationem soluant.

Comitatus, Zaladiensis ratio habenda. ART. XIX.

HABEATVR ratio Comitatus Zaladiensis, qui amissa Canisa totaliter desolatus esse dicitur.

Contra illos, qui Turcis omnis generis victualia inuehunt, quomodo procedendum sit. ART. XX.

TVRCIS verò victualia cuiussuis generis inuehentes, si deprehensi fuerint, siuè indigenæ, siuè externi sint, ad instantiam Directoris, iure extraordinario, & extra quosuis Iudiciorum Comitiorumuè terminos, citentur in præsentiam Reuerendissimi

dissimi domini Locumtenentis, vel alterius cuiuspiam Iudicis Ordinarij, & conuicti, pœna, Articulo Septuagesimo secundo, Anni Millesimi, Quadringentesimi, Nonagesimi octaui, & Articulo Sexagesimo septimo, Anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi tertij, contra tales sancita, plectantur.

De gratuitis laboribus ad Confinia præstandis, præcedentium Annorum Articuli renouati. ART. XXI.

DE gratuitis laboribus, ad Confinia Canisæ, Agriæ, & alijs hostilibus Confinijs opposita, potissimùm autem Strigonium, Wijuar, Onod, Diosgeór & Waradiense, ex deliberatione suæ Serenitatis, cum Consilio Hungarico, præstandis, referunt se Status & Ordines, ad Articulum decimum quintum, Anni proximè transacti, & vigesimum octauum, Anni Nonagesimi noni.

De publicarum viarum reparatione, & alijs ad eam rem pertinentibus, proximorum Annorum Articuli obseruentur.
ART. XXII.

DE reparatione viarum publicarum & pontium, ac officium in ea re præstandum negligentibus, sicut & de sectione lignorum, in Comitatibus Turocz, Liptho & Arvva, stent suo loco Articuli, decimus septimus & decimus octauus anni superioris, & Anni Nonagesimi noni, Articulus tricesimus.

Vecturam Machinarum & munitionum bellicarum, Status & Ordines hoc tempore præstare nequeunt. ART. XXIII.

NON ignorant Status & Ordines, vecturam Machinarum & munitionum bellicarum, vti perdifficilem, ità etiam apprimè necessariam esse: Verùm enim uero, vt aliquis curruū vel iumentorum numerus hoc nomine per Regnicolas expediatur, ex defectu animalium, partim lue pestifera toties repetita, partim verò hostium tyrannide & militum insolentia absumptorum, hoc tempore penitus impossibile ducunt.

Vt ad hanc vecturam ex alijs Prouincijs & Regnis pacatioribus equi administrentur & Ciuitatum liberarum condigna ratio habeatur, Status & Ordines Maiestati suæ Cæsareæ humiliter supplicant. ART. XXIV.

SVPPLICANT igitur Status & Ordines suæ Maiestati quàm humilimè, dignetur equos huic oneri ferendo, ex alijs pacatioribus Regnis & Prouincijs, nondum DEI beneficio, hæc tam grauia incommoda perpessis, benignè adducentos committere, simulq; hac in parte, liberarum etiam Ciuitatum, continuis propemodū impensis & nouorum equorum, quotannis loco extinctorum, emptione atq; submissione, exhaustarum, condignum habere respectum. Confidit tamen benignè Maiestas sua Cæsarea & Regia, quod fideles Status & Ordines Regni, in præsenti ardua necessitate, pro publico Patriæ suæ bono, ac præsertim illi, qui Castris Christiani exercitus propinquiores erunt, dictam Commeatus & victualium, nec non Artoleriæ & munitionum vecturam, pro posse ipsorum, sicuti hactenus quoq; laudabiliter fecerunt, hoc etiam anno, promptè ac beneuolè & pro virili, adiuturi & promoturi sint.

Intercedunt Status & Ordines Regni apud Maiestatem suam Cæsaream, pro restituendis bonis illis Nobilibus, qui in Comitatibus Biharien. alijsq; Antetransyluaniam sitis, degunt. ART. XXV.

QVONIAM superioribus annis, Serenissimus Archidux Maximilianus, certorum Nobilium bona, in Comitatibus Bihariensi, Zolnok mediocri ac Krazna, & alijs, quibusdam donauit, qui Nobiles eiusdem Comitatus, in ijsdem bonis, contra legitimam Contradictionem, varijs modis indies turbare, eaq; sibi vendi-

care satagunt. Quia verò Comitatus illi, sponte se Maiestati Cæsareæ subdiderunt, ideoq; fauore & gratia suæ Maiestatis Cæsareæ potius digni, quàm indicta causa, mulctandi videntur. Dignetur itaq; Maiestas Cæsarea, re diligenter cognita, eos, qui insontes fuerint, in integrum suorum bonorum restituere, eos verò, qui sontes erunt, debita pœna affici iubere.

De non conscribendis, lustrandis & dimittendis in Hungaria & Sclauonia externis militibus, sic etiam de condescensione & violentia militum, alijsq; grauaminibus, proximorum Annorum Articulos obseruandos Regnicolæ censent. ART. XXVI.

PORRÒ fideles Status & Ordines, nil magis inter cætera huic Regno salutarius fore existimant, quàm si Articulus vigesimus octauus, Diætæ nouissimæ, de externis militibus, in hisce Regni reliquijs & in Sclauonia non conscribendis, lustrandis & dimittendis, iuxta suæ Serenitatis benignam anno superiori factam oblationem, & subsequutam superinde suæ Maiestatis confirmationem, inuiolabiliter obseruetur. Sic etiam Articuli de condescensione, vi, rapina & prædonio militum, & villas dominorum ac Nobilium militibus distribuentium, licentia, toties sanciti.

Insurrectio in liberos Haidones, sub mulcta pecuniaria decreta, atq; vt Status nominati, confestim iuxta demerita eorum puniantur.

ART. XXVII.

VT liberorum Haidonum licentia compescatur, ad eos extirpandos & refrenandos, Supremi Comites, vna cum Magnatibus, Nobilibus alijsq; Ordinibus, sub pœna à Magnatibus Sexingentorum, à Nobilibus, trecentorum florenorum, defacto exigenda, insurgere teneantur, vnanimi Statuum & Ordinum voto statutum est. Inter hos prædones præcipui sunt, Stephanus Saarasij, Georgius Kun, Matthias Budaij, nunc in captiuitate Capitanei Comaroniensis detenti, ac Petrus Konkolij cum Michaele Reyvez, & ad Tibiscum Nicolaus Segniej, Nobilitatis & plebis oppressores, statim iuxta eorum demerita puniendi.

Vt partibus Cisdanubianis Capitaneus Hungarus maturè ordinetur, Status & Ordines Regni demissè petunt. ART. XXVIII.

SVPPLICATVR hoc loco suæ Serenitati per Status & Ordines humillimè, dignetur primo quoq; tempore, de Supremo partium Regni Hungariæ Cisdanubianarum Capitaneo Hungarico prouidere, ne grauiora in dies ex huius defectu, inconuenientia subsequantur, cum & hactenus magnorum malorum ansam, vacantia huius officij dederit.

Supplicant Status & Ordines Regni Maiestati suæ Cæsareæ, pro instaurandis firmandis ex tot propositis Castris & Castellis, duobus vel tribus Confinijs, ad hostium Turcarum insultus & excursiones arcendas.

ART. XXIX.

PLVRIMVM etiam Reipublicæ interest, quod totus vltra Rabum fluuium longissimus tractus, præsidijs usq; ad Canisum nudatus, manifestæ perditioni, & hostium rapinæ relictus est, præsidijs aliquot milliarum spatio à Canisa hùc versùs retractis. Quo prius enim hostilibus Confinijs præsidia ponantur, & excursiones hostium arceantur, eò salutarius illis Regni partibus & Prouincijs adiacentibus, finibusq; Styriæ ad Rokospurgum vsq; futurum est; proindè, ne saltem passus & vada Rabæ fluminis semper custodiantur, Castella Peoleoske, Egarzegh, Kapornak, Zalavvar, Kemend, Nempthij, Zechijziget, Zenthgroth, Zemenije, Alsolindvva, ac alijs, propius videlicet Canisam sita, milite, munitione & reparatione, interim, dùm Dei beneficio Canisa recuperabitur, necessario firmanda, & duo ex ijs vel tria, loco præcipuorum Confiniorum eligenda, consultissimum iudicant, & eo nomine pro communi permansione, Status & Ordines suæ Maiestati, & suæ Serenitati obnixè quàm possunt, supplicant.

Sumptus in Vallones facti & damna per illos illata, Creditoribus & Commitatibus refundendi. ART. XXX.

Et quia ad intertentionem Vallonum, in Comitatibus Castriferrei & Sopronienſi, ſpe futuræ promiſſæ ſolutionis, ſumptus non contemnendi facti ſunt, ijdēq; ordinaria Comitatuum promiſſione non contenti, plurima ibidem, & in Comitatibus Poſonienſi, Comaronienſi, Nitrienſi, Barſienſi & alijs, damna commiſiſſe dicuntur; Ea omnia creditoribus damnumq; paſſis, Status & Ordines refundenda, & tandem ex Comitatu Sopronienſi, gentem illam amouendam, cenſent.

De Confinijs Sclauonicis in Sclauonia agendum, Sereniſſimumq; Archiducem Ferdinandum ex ſuis Prouincijs dictis Confinijs, ſic & Petriniæ proſpicere debere Status demiſſè cenſent. ART. XXXI.

Articuli de ſtatu Confiniorum Sclauonicorum propoſiti, debebunt in Sclauonia proponi; Quia autem ex Hungaria ſubueniri illjs non poſſit, Sclauonia quoque ſit iam penè exhauſta: Supplicant Status & Ordines, dignetur ſua Maieſtas aut ſua Serenitas, Sereniſſimum Archiducem Ferdinandum requirere, vt ſua Serenitas, dictis Confinijs ex ſuis Prouincijs proſpicere, & ne Petriniam etiam negligi permittere dignetur.

De rectificatione metarum Regni, ſuperiorum Annorum Articuli renouati, & Commiſſio illa per Status & Ordines Regni ſedulò expetitur. XXXII.

Hoc loco renouantur Articuli Annorum ſuperiorum, de rectificatione metaruum, inter Hungariam, Auſtriam, Styriam, Morauiam & Poloniam editi, quam vt Maieſtas ſua Cæſarea atq; Regia maturare, ac in locum demortuorum Commiſſariorum, alios idoneos nominare dignetur, Status & Ordines humiliter ſupplicant.

Ad Tabulam Regiam nominantur Aſſeſſores maiores. ART. XXXIII.

Ad Tabulam Regiam ſuæ Maieſtatis, loco Prælati nominantur Paulus Almaſſij, Vicarius Strigonienſis, vel Valentinus Lepes, Cuſtos Eccleſiæ Iaurienſis; Loco vero Baronum, Magnifici, Michael Czobor de Czoborzenthmihaly, aut Petrus Revvaij, Comes Comitatus Turoczienſis, vel Ioannes Liſthius.

Reuiſionibus Appellationum, quinam Prælati & Barones intereſſe debeant. ART. XXXIV.

In reuiſionibus Appellationum, penes Reuerendiſſimum dominum Locumtenentem, in his inferioribus Regni partibus erunt Prælati, Reuerendiſſimi domini Martinus Pethe, Archiepiſcopus Colocenſis, Stephanus Szuhalj, Epiſcopus Agrienſis, & Andreas Monozloij, Epiſcopus Weſprimienſis; Barones, Magnifici domini Franciſcus Nadaſdij, Georgius Turzo, & Sigiſmundus Forgach. Pro partibus verò ſuperioribus, erunt Reuerendiſſimi domini, Nicolaus Micatius, Waradienſis, Georgius Zalathnokij, Quinque eccleſienſis, & Fauſtus Verantius, Chanadienſis, Eccleſiarum Epiſcopi; Item Magnifici, Franciſcus Dobo, Sigiſmundus Rakoczij, & Nicolaus Dersffij.

De modo Procedendi contra Confiniorum Capitaneos, ſiue Caſtrorum deſertores & traditores. ART. XXXV.

Quoniam contingit non rarò, quod quidam Confiniorum Capitanei cuiuſuis nationis, fidei & fidelitatis immemores, leuibusque cauſis moti, Caſtra, fidei ipſorum commiſſa, hoſtibus tradere non erubeſcunt. Licet contra tales deſertores Caſtrorum, euidentes iam extent Articuli, in publicis Regni Conſtitutionibus; Volentes tamen Status & Ordines, eosdem Articulos

denuò ratificare; Statuunt vnanimi voto & consensu, vt à modo deinceps, eiusmodi Castrorum traditores & desertores, sua Maiestas Cæsarea, eiusdemq; Fiscus Regius, etiam extra quoslibet terminos Diætales & Octauales, coram Propalatino, alijsq; Iudicibus Ordinarijs, semper procedere, & iuris ordine contra eos, etiam Notam infidelitatis pronunciare & executionem facere possint & valeant.

Vt hoc responsum benignè sua Maiestas Cæsarea acceptare à Statibus & Ordinibus Regni dignetur, humilimè supplicant. ART. XXXVI.

HÆc sunt, quæ Status & Ordines, ad ipsas suæ Maiestatis Propositiones, pro turbato rerum & temporum statu, viriumq; suarum modulo, respondere habuerunt; Supplicantes suæ Serenitati, & per eandem suæ Maiestati, dignetur hoc obsequium ipsorum, clementer potiùs acceptare, quàm oblatæ Contributionis quantitatē ponderare.

CONCLVSIO.

NOS Itaque Præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum ac Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum dicti Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum clementer admissa, præfatos vniuersos & singulos Articulos, nobis modò præmisso præsentatos, præsentibusq; literis nostris, de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolumq; pariter & assensum præbuimus, ac illos & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, roborauimus & confirmauimus; Offerentes nos clementer, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi obseruabimus, quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; status & conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, roboramus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in arce nostra Regia Pragensi, decima quinta die mensis Aprilis, Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo primo. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo sexto, Hungariæ & aliorum, vigesimo nono, Bohemiæ verò, anno similiter vigesimo sexto.

NOS RVDOLPHVS secundus, Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Hungariæ, & partium ei subiectarum, in generali eorum Congregatione, per nos eis ad festum Cathedræ beati Petri Apostoli, siue ad vigesimum secundum diem, proximè elapsi Mensis Februarij, Anno præsenti Sexcentesimo secundo supra Millesimum indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerunt nobis medio Serenissimi Principis Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. fratris nostri charissimi, qui scilicet nostra in persona dicta generali Congregationi præsedit ac præfuit, infrascriptos Articulos, in eodem Conuentu, communibus eorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos. Supplicantes Maiestati nostræ humiliter, vt omnes & singulos eos Art: omniaq; & singula in illis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, nostrumq; Regium Consensum eis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare & confirmare, atque tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est,

ARTI-

ARTICVLI DOMINORVM PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆTERORVMQVE STATVVM ET ORdinum Regni Hungariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Congregatione, ad Festum Cathedræ beati Petri Apostoli, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Secundo indicto, Posonijq; celebrato, conclusi.

Præfatio in qua Status & Ordines Regni, ob spem leuandarum miseriarum eis factam, pro Campestri exercitu huius anni, duo millia equitum leuis armaturæ & totidem peditum millia, humiliter offerunt. ART. I.

Quibus calamitatibus & oppresionibus hæ Regni reliquiæ subiectæ sint, & quā sint exhausti omnium Ordinum homines, abundè & aliquoties Sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestati propositum, idq; tam suæ Maiestati quoq; satis benè constat. Nihilominus, quia per suam Maiestatem Cæsaream, Dominum ipsorum clementissimum, non minima spes eis datur, tollendarum eiusmodi miseriarum atque ærumnarum, ne sibi in præsentibus suis necessitatibus penitus deesse videantur offerūt Status & Ord. in subsidiū Cōtinuationis belli præsentis anni ad sex menses extra subsidium Sclauoniæ & liberorum Ciuitatum taxam, duo millia equitū, leuis armaturæ, et totidem peditum millia, pro Campestri exercitu. Quos quidem milites, in inferioribus Regni partibus, Domini supremi Capitanei Vngari conducent, & ad lustrandum statuent. In superiori autem Vngaria aliquis ex Dominis Vngaris, quem sua Maiestas elegerit.

Pro intertentione prædictorum militum subsidium duorum florenorum Vngaricorum decretum, deq; illius exigendi modo, aliarumq; personarum taxa, eis adiecta.

ART. II.

PRO solutione verò eorundem militum, decernunt Status & Ordines, hoc sub eorum decreto, vt de qualibet domo colonicali, atq; Inquilinaria (miserabilibus tamen personis, allodijsq; & educillorum locis, exceptis,) ita vt pauperiores à ditioribus subleuentur, præcedente (sine fraude tamen, vt ubi numerus domorum creuit diligenter etiam addatur.) propter combustas & per hostem milítesq; desolatas domos, rectificatione per colonos & inquilinos tam magnatum & Nobiliū quàm etiā Ecclesiasticarum personarum bonorumq; suæ Maiestatis, secularium & spiritualiū, singuli centū & quinquaginta denarij Vngarici; per dominos autē terrestres loco insurrectionis personalis, singuli quinquaginta denarij exigantur. Cui quidē subsidio duorum florenorum, accedet etiam taxa earum personarum omnium, quæ anno Millesimo Quingentesimo Quinto, cum sequentibus: Item anno Millesimo Quingentesimo, Nonagesimo Nono, art: septimo & alijs sequentibus denotatæ sunt eo modo & ordine, qui ibidem declaratus est. Hoc de Nobilibus in Ciuitatibus, Oppidis & possessionibus manentibus, addito vt talium taxatio fiat, præsente etiā Iudice cuiuslibet Ciuitatis & Oppidi atq; possessionis.

Quatuor ante Transsiluanicam sitorum Comitatuum auxilia quonam conuerti, quis Perceptor subsidij esse, & quod nemo planè à solutione huius subsidij exemptus esse, illud retinere debeat. ART. III.

Auxilia Comitatuum Byhar, Zolnok medioctris, Maramoros & Krazna, dabuntur Varadinum, aut quo illarū partium necessitas postulauerit sine derogamine oblationis quatuor millium hominum, Perceptor verò erit, Dominus Gabriel Lenchies, Nemo autē, cuiuscunq; Status & Conditionis sit, ab onere solutionis præmissi subsidij, in his, alijsq; Comitatibus, siue ratione proprij salarij, siue alia quacunque

cunque prætensione debiti, aut alterius occasionis, & exemptionis, exemptus sit aut retinere ipsum subsidium audeat.

De modo Lustrandi præfatos milites. ART. IV.

MILITES verò suprascripti, toties, quoties sua Maiestas benignè voluerit, per Magistros Lustrarum suæ Maiestatis poterunt lustrari, quibus loco vacantium, alios idoneos substituere liberum erit.

De duobus huius subsidij exactionis terminis, & per quos exactio fieri, cuiuè illa pecunia tradi, & quo per illos conuerti & exponi, & quando ratio ab eis exigi debeat, Deq; generalium & aliorum Perceptorum salario. ART. V.

CVIVS quidem præmisso modo exigendæ Contributionis, medietas exigetur, ad proximum festum sacri Pentecostes, altera autem ad festum beati Iacobi Apostoli. Exactio verò fiat in singulis Comitatibus per singulos Comitatuum Perceptores, qui omnem exactam pecuniam summa fide & industria, tribus generalibus Perceptoribus, quorum vnus pro Cisdanubianis partibus Dominus Ioannes Wysalussij, alter pro superiori Vngaria, Dominus Georgius Bornemizza de Kalno, tertius pro Vltra danubianis Dominus Ladislaus Ibó, nominantur, assignare tenebuntur. Hi verò illam in præfatos milites, nouiter pro Campo conductos, erogabunt, ac diligenter cauebunt, ne illa in vllos alios vsus, quam tantum ad solutionē huius Cāpestris militis conuertatur, iustam de ea, in proximis Regni Comitijs, rationem Statibus reddituri. Salarium dominorum generalium Perceptorum erit, vt anno Nonagesimo Nono. Perceptores in Comitatibus erunt ipsimet Vicecomites, cum eo salario, quod Dicatoribus dari consuetum est.

In exactionis subsidij turbatores & detentores, pœna dupli sancita, deq; modo executionis eius, quouè conuerti debeat. ART. VI.

QVAM exactionem subsidijs si qui, Dominorum Prælatorum, Magnatumq; & Nobilium, aut aliorum quorumlibet, interturbare quopiam modo, aut ipsum subsidium retinere non verentur; conuincatur in pœna dupli, quam exequatur suprem⁹ Regni Capitaneus, vbi Vicecomes, vel Comes insufficiens fuerit, quæ pœna exacta, detur ad manus Perceptorum generalium, qui eā ad belli vsus publicos conuertant.

Quantum Turcis subiecti coloni sic etiam Sclauoniæ Regnum soluere, quouè subsidium illud conuerti debeat & de ratione illius reddenda.

ART. VII.

DE colonis Turcis subiectis, idem constituitur quod præcedentibus annis est de illis sancitum, vt nimirum dimidietatem subsidij soluant. Sclauonia quoq; soluet iuxta eorum consuetudinem, dimidietatem, subsidij & conuertent eam ad proprios eius Regni vsus ac necessitates & reddant rationem.

De illis, qui anno non expleto seruitia deserunt, de militum Salario, deq; ijs, qui maioris stipendij causa, ad exteros se conferunt, & similibus, priorum annorum Constitutiones confirmatæ. ART. VIII.

DE ijs qui non expleto anno seruitia deserunt; Item de Salario militum, deq; ijs, qui maioris stipendij gratia ad exteros eunt, confirmantur, per omnia præcedentium annorū constitutiones, singulariter de ijs, qui se ad exterorum seruitia conduci patiuntur, confirmatur articulus Vigesim⁹ secundus, Anni nonagesimi sexti. Et supplicatur suæ Maiestati, dignetur Dom. Germanis Capetaneis cōmittere, ne Hungaros conducant, & secus facientes, seriò puniant; Pariunt enim defectum in numero militum Hungarorum, propter maius stipendium, se ad eorū seruitia conferendo.

Status & Ordines Regni Personalis Insurrectionis inutilitate, declarato supra ablatos loco illius, Quinquaginta denarios, de singulis viginti Domibus rectificatis, vnū equitem leuis armaturæ ad vnum mensem, sic quoq; de singulis Viginti domibus Curialium Nobilitarium, inquilinos habentium, singulum similiter equitem, Maiestati suæ Cæs. demissè offerunt

CÆTERVM

ART. IX.

CAETERUM, quod personalis Statuum insurrectio non adeò sit vtilis, iam sæpius cùm annis superioribus, tum etiam sub præsentibus comitijs, est declaratum. Dictū quoq; est, Centum & quinquaginta denarijs, quos Coloni contribuunt, ea ratione esse quinquaginta denarios superadditos, vt ipsi Status ab hac insurrectione, liberentur. Quare loco insurrectionis huius, supra prætactos quinquaginta denarios: offerunt adhuc suæ Maiestati, ad vnum integrum mensem, à die quo castra ingredientur, inchoando, de singulis viginti domibus, præmisso modo rectificatis, vnū equitem leuis armaturæ, bene armatum. Quorū vsus longè vtilior futurus esse creditur in militia, quàm si in propria Persona, quilibet in ipsa castra proficisceretur. Curabit autem clementer sua Maiestas, ne ante tempus, sed magna necessitate, exigente, hæ gentes leuentur. Similiter etiam, de singulis viginti domibus Curiarum Nobilitarium, Inquilinos habentium, singulos eques bene armis instructus, expediętur; ita videlicet, vt illæ quoq; secundum numerum domorum numerentur, ac si quæ eiusmodi curiæ Inquilinos non haberent, eæ iuxta limitationem Comitatus, supremi Comitis, militem, expediant. Erit verò in arbitrio quorumlibet positum, in propria etiam persona Castra sequi, & lateri suæ serenitatis assistere. Sperat autem atq; confidit, tàm Maiestas sua Cæsarea quàm verò sua Serenitas, quod requisiti Comitatus, prætactum vnum mensem, grauiore & summa necessitate exigente, diutiùs protrahent.

Vt contributio Tritici & Auenæ iam antea decreta, per eos Comitatus, qui illam nondum præstiterunt, de singulis portis, ad vsum rei Annonariæ Maiestati suæ Cæs. rectificetur. ART. X.

ITEM petijt sua Maiestas in propositione, vt Status & Ordines, certam quantitatem Tritici & Auenæ, in vsum rei Annonariæ contribuant. Quæ quidem contributio, quia iā antea per eos, & Vltradanubianos Comitatus præstita est, iustū est, vt cæteri quoq; comitatus, qui id nondū fecerunt, primo quoq; tempore præstent, & de singulis portis, singulam Metretam Tyrnauiensē tritici, & tantundē Auenæ, suæ Maiestati, ad man⁹ Annonarioru, receptis superinde recognitionalibus, cōtribuant.

De vectura victualium in Castra, de iumentis ordinandis ad vecturam tormentorum bellicorum, de curribus, pro videnda in Albam Regiam Annona, & ad alias necessitates, necessarijs, Status Regni demisse suæ Cæsareæ Maiestati respondent. ART. XI.

ITEM postulat sua Mai. Cæs. clementer à Statibus & Ordinibus, vecturā victualiū in Castra, nec non iumenta pro tormentis, & currus pro vehenda Annona in Albā Regiā. Quod concernit vecturam victualiū in Castra, ea proculdubio non deerit, vbi primum in Castra ventum fuerit, dūmodo vectoribus de securo itinere prouideatur vt videlicet tàm redeundo quàm proficiscendo, securè negotiari & iter facere possint, ac si per Profosios nimirum taxati non fuerint, & per Marschalcos quoq; Campi, defensionem quoq; habuerint. Pro tormentis verò iumenta dare, ex Regni legibus & consuetudine, Ciuitatibus incumbit, quas tamen sua Maiestas, pro sua clementia, subleuare dignabitur. Sunt enim etiā illæ multū exhaustæ & ferme omnibus eiusmodi commoditatib⁹ destitutæ. Pro conuectione autē victualiū in AlbāRegiā, offerunt Comitatus Cisdanubiani & Vltradanubiani pro vnica hac vectura, de singulis quinquaginta portis, singulū currū; quos ad festū S. Georgij, Iaurinum statuent: supplicantes humiliter, vt eosdem diutius illic detineri, aut ad priuatorum hominū vsus adhiberi, sua Maiest. nō permittat. Sed habeant statim cū iumentis liberā redeundi facultatē addita militari comitiua, pro securitate. In subministratione verò curruū, quæ pro similibus alijs necessitatib⁹ vrgetur, petunt Status, & Ordines humiliter dignetur illis sua Maiestas parcere. Miles enim nec non hostis Turca & Tartarus, luesq; præteritorum annorum omnia fermè eorum iumenta absumpsit, sicut multoties est repetitum.

De pœna in eos statuta, qui Turcis ac Rebellibus victualia administrant, & frumentum è Regno euehunt. ART. XII.

De ijs, qui Turcis & Rebellibus victualia subministrant, nec non de euectoribus frumenti è Regno exemplum statuere iustum est. Dignetur itaq; sua Maiestas committere, vt talium merces confiscentur, si qui deprehensi fuerint.

Labores gratuiti, pro confiniorum Reparationibus, sex dierum decreti, & pagorum distractio vetita. Art. XIII.

Labores gratuiti pro confiniorum reparationibus, sex dierum offeruntur. Ne verò more hactenus consueto, cum summo fidelium suæ Maiestatis detrimento & oppressione, pagi passim huc illucq; & ad diuersa confinia, vltra hanc limitationē distrahantur. Ideo supplicant suæ Maiestati Ordines & Status Regni, dignetur cōmittere Capitaneis, ne plebem propria authoritate, pro libitu, ad labores in posterum maiores præstandos, quam qui ordinati & oblati sunt, nisi aliud summa necessitas requirat, cogant. Quod vt facilius caueri possit, ipsorum Comitatuum labores sequenti modo distribuerunt, ita videlicet vt remotiores Comitatus, pecuniam soluant; pro curru videlicet florenum vnum, pro manuali autem labore sedecim denarios per diem.

Limitatio laborum gratuitorum ad confinia præstandorum, vt sic per Status & Ordines Regni facta. Art. XIV.

Ad Zathmar, Comitatus Zathmar tres processus, Item totus Comitatus Vgocha, Ad Kolla, Comitatus Beregh & Zabolch, Ad Onod, totus Comitatus, Abavvijvvar, cum vno inferiori processu Comitatus Zemptieriensis. Ad Zendereo Comitatus Saaros Scepusiensis, & medietas Comitatus Geomer, Ad Diosgeor, Comitatus Borsod & Thorna. Ad Thókaij, tres processus Comitatus Zempliniensis & Comitatus Vngh. Ad Echéd, quartus processus Comitatus Zathmar. Ad Puthnok, altera medietas Comitatus Geomeór, Ad Filek & Zechen, Comitatus Nogradiensis totus. Ad Giarmath, Comitatus Honth, Arua & Liptho. Ad Nograd & Dregelpalanck, Comitatus Zoliensis. Ad Kékkéo & Dyvvin, Comitatus Thurocz. Ad Wiuar, Comitatus Nitriensis. Ad Strigonium, Vaczium, Vissegrad, Dajmas, Comitatus Posoniensis, Barfiensis & totaliter Trinchiniensis. Ad Papa, pars Comitatus Castriferrei, Kemesallia vocata, ad Wesprim, Comitatus Wesprimiensis, Ad Palotha, Comitatus Zaladiensis vltra Fluuium Lezencze, ad Albam Regalem, Comitatus Mosoniensis, Sopronienfis, Comaroniensis, Iauriensis, ex Comitatu verò Castriferrei, processus Michaëlis Egervarij. Ad Legrad Insula Morakeóz, Ad Zéztel, propriæ pertinentiæ, Ad Zenth Georgijuar, Comitatus Zaladiensis, & processus Ioannis Legman. Ad Zenthgroth, propriæ pertinentiæ, Ad Kiskómar, Comitatus Simigiensis. Ad Peleske, Comitatus Castriferrei, tertius processus, Ad Egeruar & Kapornack, quartus processus Comitatus Castriferrei.

Super reparatione viarum & pontium, constitutio anni præteriti renouatur. Art. XV.

Præparatio viarum & pontium tàm ad bellicam expeditionem, quam postarum etiam eursum, debito modo promouendum, omnino est necessarium. Quare Articulus tricesimus, Anni Nonagesimi Noni, superindeeditus confirmatur, & pœna, contra Vicecomites negligentes ibidem assignata, exequatur.

Exactio subsidiorum publicorum, quomodo fieri debeat. Art. XVI.

Exactiones porrò ratione subsidiorum publicorum, eo quidem modo fiant à Perceptoribus & Dicatoribus, prout id, in proximorum Comitiorum constitutionibus expressum est.

De modo exigendarum restantiarum. Art. XVII.

CVM autem exactio restantiarum, ad Vicecomites & Iudices Nobilium pertineat; idem Perceptoribus & Dicatoribus ea non, sed Vicecomitibus & Iudicibus Nobilium imponatur: qui si in eorū officio negligentes fuerint, procedatur contra eos, iuxta præcedentium annorum Constitutiones.

Tricesimatores & reliqui Officiales prouentuum suæ Maiestatis Cæsareæ ad rationem & satisfactionem adigantur. ART. XVIII.

TENEANTVR quoq; Tricesimatores & reliqui Officiales prouentuum suæ Maiestatis ad hæredes eorum rationem reddere satisfactionem impendere, iuxta tenorem Art: decimi quinti, Anni præteriti Millesimi, sexcentesimi primi.

De liberis Haydonibus, alijsq; vagabundis militibus & miseræ plebis oppressoribus, præteritorum Annorum Articul: confirmati.

ART. XIX.

DE liberis Haydonibus, damna fidelibus suæ Maiestatis subditis inferentibus nec non de vagabundis equitibus & peditibus, alijsq; miseram plebem vexantibus & opprimentibus, nec non de eorum intertentoribus & fautoribus, renouatur Art: Vigesimus tertius, Anni Nonagesimi sexti & Articuli; tricesimus primus & tricesimus secundus, Anni Nonagesimi quinti.

Villarum Nociuam inter milites distributionem, Regnicolæ penitus tolli, sic & hybernationem, ablicentiationem & conductionem externorum militum, aboleri demissè supplicant. ART. XX.

SVPPLICANT hoc loco suæ Maiestati Status & Ordines, dignetur interdicere & tolli demandare, nociuam illam Villarum distributionem, quæ passim in hoc Regno per milites introducta est, ut pars eorum, vnā, duasq; vel plures possessiones sub suo imperio habeat, pars autem huic, vel illi loco, pro Capite ordinata sit, qui semper plus Dominij & Imperij in miseram plebem habent, quam ipsi Domini Terrestres; sic etiam, quantum possibile erit, iuxta oblationem factam abolere dignetur hybernationem nec non ablicentiationem & conductionem militum externorū; in his attritis reliquiis. Hæc enim non priuatis tantum personis, sed & publico cōmodo admodum damnosa sunt, ijsq; continuatis, ipsas Regni reliquias passum ire necessum erit.

Vt Capitanei se in Iuris processus non immisceant. ART. XXI.

SIMILI modo constituere dignetur sua Maiestas, ne Capitanei, se in Iuris Processus immisceant, seq; à bonorū occupationibus continuant: id enim libertatibus Regni multum præiudicat, sed maneant intra suos militiæ limites.

De celebrandis in Sclauonia Octauis. ART. XXII.

MANDARE quoq; dignetur sua Maiestas Cæsarea atq; Reg: vt in Sclauonia, circa Epiphaniarum Domini, aut alio tempore, quo commodè fieri poterit, Octauæ celebrentur, quæ si tam diu durare non poterunt, quam diu antea, durent prout visum fuerit. Videtur autem hoc loci Maiestati suæ Cæsareæ ac Regnum clementer, vt propter varias, quæ indies emergere solent, potentiorum violentias & iniurias, non solum Sclauoniæ, sed inclyti quoque Regni sui Hungariæ, quoad Iudiciorum Octaualium celebrationem, debita ratio habeatur; illaque omnino, post tot exactos iam Annos, in vsum reuocentur, ac celebrentur, atque si propter bellicas occupationes, binaria vice, vti antea solitum fuit, celebrari nequirent, statuit tamē Maiestas sua Cæsarea benignè, atq; de Regiæ suæ potestatis plenitudine decernit, ac omnino clementer vult, vt dicta Iudicia Octaualia, in Vngaria hoc Anno, si propter imminens bellum ad festum S. Lucæ Euangelistæ, more aliàs consueto, fieri non posset à festo tamen Diui Martini Episcopi & Confessoris, proximè affuturo, inchoando, sicut & Sclauonica, circa Epiphaniarum Domini, Anno proximè sequenti, ritè & ordinè celebrentur, durentq; quoad maximè poterunt.

Metarum

Metarum Regni, aliorumq; circumadiacentium Prouinciarum, Nouo Reuisia & Rectificatio Instauratur. & noui Commissari deputantur. ART. XXII.

DIGNETVR simili modò sua Maiestas memor esse, vt Rectificatio Metarum, inter hoc suæ Maiestatis Regnum, & adiacentes Prouincias, de quibus in superiorũ Annorum Constitutionibus fit mentio, tandem in effectum deducatur. Pro Metarum Morauicarũ Rectificatione, nominantur, Reuerendissimus Dominus Stephanus Zuhaij, Episcopus Agriensis, Dominus Ioannes Ioó, Personalis Præsentia, Michaël Arnade, ViceComes Comitatus Posoniensis, Magister Nicolaus Perakadij, Prothonotarius Domini Iudicis Curiæ, quibus addetur Director causarum suæ Maiestatis, Pro Austriæ & Styriæ Metarum rectificatione, nominantur, Reuerendissimus Dominus Ludouicus Wilakij, Episcopus Boznensis, item præfatus Dominus personalis præsentia, Dominus Emericus Megierij, & Dominus Moyses Czirakij, quibus similiter Director causarum adiungatur.

De locandis in locum certum militibus extraneis, deq; prouisione eorum, refusione damnorm, per illos miserè plebi illatorum. ART. XXIII.

QVA ratione Wallonibus alijsq; id genus militibus, si Albam Regiam transferantur, de fœno & stramine nec non pabulo prouideri possit, status planè non vident, distant enim hi Comitatus multùm abeo confinio, ita, vt si in curribus eis è longinquo de similibus prouidendum sit, pretium vnius currus, multa plaustra excessurum sit. Videntur itaq; interim, donec Castra metabuntur, ad aurinum collocandi esse, vbi victum aliaq; necessaria pretio sibi comparare possint, & secundo Danubio commodius eis prouideri poterit. Supplicando, dignetur sua Maiestas constituere, vt damna, tàm ab his Mercurialibus, quàm alijs Wallonibus, præsenti anno elapsis, fidelibus suis subditis illatá, iuxta clementem oblationem, liquidentur, & ex stipendijs eorum refundantur. Videtur tamen hoc loci Maiestati suæ Cæsareæ clementer, vt supradicti milites, ob curtas e identes & rationabiles causas, omnino ad Albam Regiã, vel quocunque Serenissimo Archiduci Matthiæ, &c. visum fuerit, transferantur.


Serenissimo Domino Archiduci Matthiæ, in recognitionem singularis erga ipsos pietatis, clementiæ & affectionis, bonaq; rerum administrationis, de singulis domibus colonicalibus & inquilinariis, in Hungariæ Sclauoniæ Regnis, viginti denarios Vngaricos, status & Ordines Regni demissè offerunt. ART. XXV.

POSTREMO suæ Serenitati Archiduci Matthiæ, &c. Pro singulari eiusdem erga eos beneuolentia & paterno amore, ac in promouendis harum afflictarum Regni reliquiarum rebus & negotijs, diuina propemodum prouidentia, nec non præstito, & suscepto studio, subleuamine, iuuamine & ope: singulariter autem, quod pro ipsis & Regno, iam multis vicibus vitam quoq; suam, in periculũ & discrimen adducere non dubitauit, vti quidem id conflictus proximè ad Albam Regiam celeberrime & laudatissime factus clarissime ostendit. Pro his itaq;, tot tantisq; suæ Serenitatis beneficijs; Status & Ordines Regni, non quidem eas quas deberent, (id enim afflicto eorum statu admodum misero existente, fieri haud potest.) sed quas possunt, agunt, habentque gratias; & supplicant humilimè suæ Serenitati, dignetur eos posthac quoque commendatos sibi habere, & calamitatibus eorum, quantum possibile erit, etiam in posterum subuenire. In recognitionem verò eiusmodi singularis suæ Serenitatis erga ipsos clementiæ & paternæ affectionis, Ordinarunt suæ Serenitati Donatiui nomine de singulis domibus colonicalibus & inquilinarijs, tàm in hoc Vngariæ Regno, quàm etiam in Sclauonia habitis, viginti denari-

os Vngaricos, binis suprascriptis terminis, exigendos. Supplicantes suæ Serenitati humillimè dignetur hoc exiguum à pauperibus & extenuatis huius Regni incolis ablatum munus, boni consulere, parati pro eorum facultate, suæ Serenitati grata semper obsequia exhibere.

CONCLVSIO.

NOS Itaque, præmissa Supplicatione Fidelium Subditorum nostrorum, Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, & Nobilium, aliorumq; Statuum & Ordinuum dicti Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, clementer admissa, prædictos vniuersos & singulos articulos, Nobis, vt præmissum est, præsentatos, de verbo ad verbum, præsentibus literis nostris inseri fecimus, eosq́, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos, & accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolumque pariter & assensum præbuimus, atque illos & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, & confirmauimus, offerentes Nos clementer, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & Articulis, tàm Nos ipsi obseruabimus quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; Status & conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi Vigesima die Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo Sexingentesimo secundo. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo septimo, Hungariæ & aliorum trigesimo, Bohemiæ verò, Anno similiter vigesimo septimo.



NOS RVDOLPHVS Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Sclauoniæ, &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Morouiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum Congregatione siuè Conuentu, per nos eis, ad festum beati Matthiæ Apostoli, hoc est, ad vigesimum quartum diem proximè elapsi mensis Februarij, Anno Domini præsenti, Sexingentesimo tertio, supra Millesimum indicto, & in Ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & præsentauerũt nobis, medio Serenissimi Principis Maximiliani Ernesti, Archiducis Austriæ, &c. Patruelis nostri charissimi, qui videlicet nostra in persona, dictæ generali Congregationi præsedit ac præfuit, infrascriptos Articulos, in eodem Conuentu, communibus ipsorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos: Supplicantes Maiestati nostræ humiliter, vt omnes & singulos Articulos, omniaq; & singula in illis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, nostrumq; Regium Consensum eis præbentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, ratificare, atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM

PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM & NOBILIVM, CÆTERORVMq; STATVVM & ORDINVM Regni Hungariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Congregatione, ad festum beati Matthiæ Apostoli, siue vigesimo quarto die mensis Februarij, proximè præteriti, Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo, tertio, indicta & Posonij celebrata, conclusi.

Præfatio, in qua Status & Ordines Regni, pro paterna & pia, quam de illis gerit, cura & sollicitudine, Maiestati suæ Cæsareæ maximas gratias demissè agunt, illamq; continuari petunt. ART. I.

EA, quæ sacra Cæsarea Regiaq; Maiestas, dominus noster clementissimus, per Serenissimum Archiducem Austriæ, Maximilianum Ernestum, dominum itidem nostrum benignum Statibus & Ordinibus huius regni Hungariæ, peculiari suo scripto, sub præsenti Diæta, clementer proponi fecit, ijdem Status & Ordines Regni, humillimè intellexerunt. Ac imprimis suæ Maiestati, pro paterna sua cura, quam hactenus in hoc Regnum habuit, ac se in posterum quoque habituram significat, quas possunt, habent aguntq; gratias, petentes à sua Maiestate quàm humillimè, dignetur de sua, erga fideles suos veteri clementia & pia sollicitudine, nihil remittere, sed quod è re tùm eorum, tùm etiam totius Christianitatis fuerit, vltrò semper & continuò præstare. Illud verò quod sua Maiestas, de suo patruele, Serenissimo, Archiduce Maximiliano Ernesto, annectit, vt nimirùm, præsenti Diætæ eiusq; tractationi præsit, & in propositorum negotijs, sese Status & Ordines Regni, faciles demonstrent: Ea in re, propter causas, per suam Maiestatem adiectas, perlubenter quidem acquiescunt suæ Maiestatis benignæ postulationi atque commissioni; veruntamen, supplicant iterum atq; iterum suæ Maiestati, dignetur post tot tandem annos, in medium suorum fidelium venire, ac præsens, malis eorum subuenire. Quibus rectè mederi ità posse existimant, si sua Maiestas ipsamet eorum querelas & grauamina intueri & audire possit.

Status & Ordines Regni, ad quædam Maiestatis suæ Cæsareæ obiecta, humiliter se excusando, respondent.
ART. II.

PRÆTEREA, vbi sua Maiestas Cæsarea, inter Propositionis Articulos, aliquot in locis, non obscurè omnem neglectarum rerum, & præsertim non exactæ Contributionis, ac oblati militis, non subministrationis causam, in ipsos Status & Ordines reijcere videtur; Scire suam Maiestatem non dubitant, ipsos iam antea sæpe sæpius ob oculos suæ Maiestatis posuisse, omnem eiuscemodi negotiorum culpam, non aliam esse, nisi quod singulis annis, omnis eorum substantia & conditio diminuitur, & ex continua belli mole, in dies in peiorem statum deueniat, ac post oblata subsidia, partim militum insolentia, partim verò hostium excursionibus opprimantur, & sic numero quoque domorum connumeratarum, destituantur. Et licet hæc natio, varijs calamitatibus sit, & anteà quoq; ab initio fuerit, obnoxia: Sperant tamen Status & Ordines Regni, iam dudum suæ Maiestati benè constare, quàm diu florentiores fuerunt, se semper pro voluntate suæ Maiestatis, & pro salute ac permansione patriæ, nihil, neq; de constantia atq; fide, neque de substantiarum suarum vltranea subministratione, intermisisse, sed omnibus viribus, in omnibus occasionibus, patrio more, vestigia maiorum suorum secutos esse. Quod certè posthac quoque tàm libenter, quàm quòd libentissimè sunt facturi, pro omni eorum possi-

possibilitate, quam diu vixerint, & vel vnicus eorum superstes fuerit, dummodo benigna etiam eorum ratio habeatur, & nimia licentia militari non aggrauentur.

Subsidium pro militum intertentione, anno praeterito decretum, hoc quoq; anno per Status Regni offertur, in duobus terminis exigendum, deq; exactionis modo, & Generalibus ac particularibus eiusdem Perceptoribus, & de ipsorum Salario. ART. III.

Quò nautem concernit eum Articulum, de militis in Campum expediendi, postulatione. Vellent quidem Status, & certè ex animo cuperent, si non decem tantum hominum millia, in campum expedire possent, sed & longè maiorem numerum: verùm iam nouit sua Maiestas, quàm extenuatas vires hae Regni reliquiae habeant, & quàm sit incertum & difficilè, etiam minima decreta subsidia, à colonis exigere. Nihilominus tamen offerunt humillimè Contributionem anni proximè elapsi, nimirùm, de qualibet domo Colonicali atq; Inquilinari, (miserabilibus personis, allodijsq; & educillorum locis exceptis.) praecedente sine fraude, propter combustas & per hostem milites q; desolatas ac depraedatas domos, more solito fienda rectificatione, singulos Centum & quinquaginta denarios. Quibus domini terrestres, loco generalis Insurrectionis, quinquaginta denarios superaddent. Ita tamen, vt pauperiores subditos, ditiores subleuent. Haec verò Contributio exigatur, tàm ex Magnatum & Nobilium omnium, etiam eorum, quorum bona nunc Vngariae restituta sunt, quàm etiam Ecclesiasticarum personarum omnium, ac suae etiam Maiestatis Secularibus & Spiritualibus bonis, nullis exceptis: ac huic subsidio accedat quoq; Taxa earum personarum omnium, de quibus in praetacti anni proximè elapsi Constitutionibus mentio fit, eo planè modo & ordine exigenda, sicut id ibidem significatum est. Cuius quidem subsidij medietas, exigetur ad proximum festum Sacri Penthecostes, altera autem, ad festum beati Iacobi Apostoli, per particularem cuiuslibet Comitatus Perceptorem, qui ipsam exactam pecuniam, tribus generalibus Perceptoribus assignabunt. Quorum vnus, pro Vltradanubianis partibus, dominus Ladislaus Ioó nominatur, alter pro Cisdanubianis, Dominus Balthasar Bossanij, tertius autem, pro superiore Hungaria, Dominus Georgius Kekedij, decernuntur: Hi verò illam in milites nouiter pro Campo conducentos, erogabunt, ac diligenter cauebunt, ne illa in vllos alios vsus, quàm tantum ad solutionem Campestris militis, conuertatur, iustam de ea, in proximis Regni Comitijs, rationem Statibus reddituri. Quorum quidem generalium Perceptorem Salarium erit, in vniuersum, vt anno proximè elapso, exceptis Equitibus, ideò quod iustae eis expensae, quas facturi sunt, postmodum in dandis rationibus admittentur. Particulares autem Perceptores in Comitatibus, erunt ipsimet Vicecomites, aut Vicecomitibus id oneris assumere nolentibus, quos ipsimet Comitatus elegerint, cum eo Salario, quod Dicatoribus dari consuetum est: Habeant quoq; Iudices Nobilium suum solitum Salarium.

De accipienda iam statim à Perceptoribus anni praeteriti, ratione, & qui nam Exactores illarum esse debeant.

ART. IV.

Statutum praeterea est hoc loco, per Status & Ordines Regni, vt à dominis Perceptoribus generalibus & particularibus, anni proximè elapsi, nunc statim ratio accipiatur percepti & erogati. Qui, si quas restantias apud se habuerint, ad manus Perceptorum praesentis anni tradanr; qui eas ad conductionem milites praesentis anni, conuertant. Exactores verò Rationum, Vltradanubiani erunt, Reuerendissimus Dominus Boznensis Episcopus, cum domino Emerico Megierij, Cisdanubium, Reuerendissimus dominus Episcopus Vaciensis, cum domino Thoma

na Wyzkelethij: pro superiore Hungaria, Reuerendissimus dominus. Quinqueecclesiensis, cum domino Gregorio Tirnauiensi.

De modo conducendi Campestrem militem Hungarum, & per quos conduci & Lustra statui debeat. ART. V.

PRÆTEREA, præmissos milites Campestres, in his inferioribus Regni partibus, domini supremi Regni Capitanei Hungari, in superiore autem Hungaria, Magnificus dominus Valentinus Homonnaij, si suæ Maiestati Cæsareæ ita videbitur, aut alius in Hungaria possessionatus, sua Maiestas elegerit, conducet; qui has Copias, quotiescunq; suæ Maiestati, vel eius Generali visum fuerit, ad Lustrandum statuent.

De Subsidij turbatoribus & detentoribus, Colonis dediticijs, de Sclauonia, & seruitiorum desertoribus & alijs, præteriti anni Articuli renouati. ART. VI.

DE turbatoribus autem aut detentoribus huiusmodi Subsidij, renouatur Articulus sextus, anni proximè præcedentis. Renouantur quoque Articuli ibidem habiti, septimus & octauus, de dediticijs colonis, nec non de Sclauonia; ac de ijs, qui non expleto anno, seruitia deserunt, seq; maioris lucri gratia, ad exteros conferunt. Contra eos verò, qui superioribus annis militem non miserunt, aut alios similes excessus, in Constitutiones Regni admiserunt, vtatur sua Maiestas vigore ipsarum Constitutionum, ac circa militiam delinquentes stipendiarios milites, puniat iuxta ipsorum demerita.

De stipendio militari, in quo statu relinqui debeat, deq; generali & particulari Insurrectione. ART. VII.

PLACET quoq; Statibus, vt sua Maiestas Cæsarea atq; Regia, stipendium militare, in eo statu relinquat, qui est anno Nonagesimo sexto, Articulo vigesimo declaratus. Similiter & de Insurrectione generali & particulari, in omnibus puncti is, Articulo nono, anni proximè elapsi, inhærent.

Gratuiti labores quomodo præstandi, deq; limitatione circa illos per Supremos Regni Capitaneos facienda, diligenter, obseruanda. ART. VIII.

DE Articulo gratuitorum laborum, referunt se ad Articulum decimumtertium, anni proximè elapsi; Supplicantes, dignetur sua Maiestas, ob miseræ plebis paupertatem, ea oblatione clementer contenta esse, & seriò demandare, ne miseri coloni, ad diuersorum Confiniorum ædificationes & fortificationes distrahantur, sed limitatio obseruetur, quæ per dominos Supremos Regni Capitaneos, ascitis sibi aliquibus ex dominis Consiliarijs, quàm primum fieri debebit. Solent enim Capitanei, vnam eandemq; villam, multis similibus laboribus aggrauare, & pro libitu, vltra possibilitatem, in laboribus detinere, tam diu, donec multi eorum etiam fame interire debeant. Habeatur etiam ratio Arcium Simegh & Zēgligeth.

De gratuitorum laborum & aliorum Subsidiorum restantijs, Anni præteriti Constitutiones seruanda, & Vicecomitum ratio habenda. ART. IX.

DE restantijs gratuitorum laborum, necnon aliorum publicorum Subsidiorum, eodem modo ad iam elapsi anni Constitutiones se referunt: hoc addentes, quod mirum videri non debet, si hæ restantiæ, ritè exigi non possint. Multæ enim villæ sunt his disturbijs desolatæ, & quamplurimi coloni, partim trucidati,

partim

partim autem in seruitutem Turcicam abducti, & ab exteris etiam militibus, non secus ac si proprij essent, possidentur. Habeatur itaq; ratio eorum Vicecomitum, qui iustas assignabunt rationes, ob quas restantias recte exigere non potuerunt.

Circa Annonam & Vecturam Bombardarum & commeatus, currunmq; & Iumentorum administrationem, quod Status Regni nihil præstare possint, sese humiliter excusant. ART. X.

CÆTERUM, Annonam suæ Maiestati promittere aut offerre quam possint non vident. Nam quicquid eiusmodi bis Regni reliquijs habitum est, totum insatiabilis miles absumpsit, ita vt multi incolarum mendicando nunc se miserrimè sustentare cogantur. De vectura Bombardarum & Commeatus, nec non de currubus & iumentis dandis, haud dubiè, si effrenata militis licentia non obstaret, ac omnia non illibenter id decernerent, quod partium ipsorum esset, sed etiamsi quàm maximè velint, nihil tamen prorsus decernere possunt, tàm sunt omnibus iumentis omniq; commeatu, per suæ Maiestatis copias exhausti. Supplicant ergò humilimè, ne eis vitio vertatur, si expectationi suæ Maiestatis satisfacere non possint.

De evectione frumenti, viarum reparatione, deq; liberis Haidonibus & militibus, præteritorum Annorum Articulis insistitur.
ART. XI.

ARTICVLOS de evectione frumenti, nec non de reparationibus viarum, atq; de liberis Haidonibus & militibus, præteritis annis, & singulariter anno proximè elapso sancitos, per totum admittunt, nec obstant, quo minus sua Maiestas, in transgressores eorum Articulorum, exemplum statuere dignetur.

Status & Ordines Regni, nonnullos in Indicijs & expeditionibus defectus, corrigi supplicant. ART. XII.

Hoc loco Status & Ordines Regni, Maiestati suæ Cæsareæ, domino ipsorū clementissimo, humilimè supplicant, vt cum quandoq; contingat, quod ad nonnullorum simplices delationes & expositiones, fideles suæ Maiestatis, per mandata Regia, in præsentiam domini Locumtenentis vel Commissariorum, euocantur; ac comparere & Priuilegia sua producere, iuraq; accipere iubentur: dignetur Maiestas sua Cæsarea, huiusmodi, legibus Regni contrarias expeditiones & Iudicia, benignè interdicere, quod de sua Maiestate Cæsarea perpetuis studijs promereri non omittent. Super hac re, Maiestas sua Cæsarea benignè inquiret, eiq; pro huius temporis statu, quoad maximè fieri poterit, clementer medebitur.

Rectificationem metarum Regni, hoc adhuc Anno, per Commissarios iam antea ad hoc nominatos, in effectum deduci, Status & Ordines demissè & sedulò petunt. ART. XIII.

ITEM, quia iam aliquoties decretum esse nouit sua Maiestas, vt differentiæ, quæ ratione metarum, inter hoc suæ Maiestatis Regnum, ab vna, parte verò ab altera, Austriam, Poloniam, Morauiam, Styriam ac Silesiam, ab antiquo intercedunt, per commissarios reuideantur & debito modo sopiantur. Id tamen hactenus ad effectum deductum non est, ac in limitibus illis constituti Regnicolæ, plurimum conquerantur, se à præfatis suis vicinis, multas iniurias pati, & interim dum ipsi circa Turcici belli negotia occupantur, ab eisdem vicinis, multas terras multaq; territoria ab hoc Regno auelli. Ideò supplicant Status & Ordines, dignetur sua Maiestas efficere, vt tandem adhuc præsenti anno, quatenus per motus bellicos fieri poterit, ab ista molestia, non modo præfati querulantes, sed & sua Maiestas liberetur, ac dictæ Commissiones, effectum suum consequantur.

Commissarij erunt illi, qui superioribus annis nominati fuerunt, deficientium aut absentium loco, eligere dignetur sua Maiestas alios idoneos.

De locis Depositionum obseruandis. ART. XIV.

STATVVNT quoq; Status & Ordines Regni, vt obseruentur loca depositionum, & nemo questuram exercens, prohibeatur & excludatur ex eiusmodi depositionū locis, quominus liberum sit illi, vina aliaq; mercimonia liberè collocare aut deponere, & pro commoditate diuendere, dempto educillo, & seruentur Articuli, Tricesimus sextus, Anni Septuagesimi quarti, & decimus octauus, anni Sexagesimi noni. Super quo quidem Articulo, Maiestas sua Cæsarea ac Regia, capta prius sufficienti informatione, benignè deliberare, & postea se resoluere statuit.

Dominus Sigismundus à Landa, vna cum duobus filijs suis, Georgio & Erasmo à Landa, in Hungarum recipitur. ART. XV.

ADMITTVNT demùm clementem Sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis requisitionem, pro parte Magnifici domini Sigismundi à Landa, eiusq; duorum filiorum, Georgij & Erasmi, factam, vt nimirùm in numerum ipsorum annumerentur, atq; in Vngariæ Nobiles ascisćantur. Qui solitum iuramentum super officio boni & veri Ciuis Regni Hungariæ, vigesima quarta die mensis Martij, præsentis anni, deposuerunt.

CONCLVSIO.

NOS Itaq; præmissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum prælibati Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, clementer admissa, præfatos vniuersos & singulos Articulos, nobis modo præmisso præsentatos, præsentibus literis nostris, de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdem nostrum Regium Consensum, beneuolumq; pariter & assensum præbuimus, ac illos & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, roborauimus, & confirmauimus. Offerentes Nos clementer, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi obseruabimus quàm per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; Status & conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima quinta die Mensis Aprilis. Anno Domini, Millesimo, Sexingentesimo tertio. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo octauo, Hungariæ & aliorum tricesimo primo, Bohemiæ verò, anno similiter vigesimo octauo.



NOS RVDOLPHVS Secundus, Diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Sclauoniæ, &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quòd fideles nostri, domini Prælati, Barones, Magnates, Nobiles, cæteriq; Status & Ordines Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, in generali eorum Congregatione siuè Con-

Conuentu, per nos, ad feriam tertiam, proximam post festum Purificationis beatissimæ Virginis Mariæ, hoc est, tertium diem proximè præteriti mensis Februarij, siuè ad festum beati Blasij Episcopi & Martyris, Anno præsenti, Millesimo, Sexcentesimo, quarto, eis indicto, ac in Ciuitate nostra Posoniensi, ad mandatum nostrum congregati, exhibuerunt & medio Serenissimi Principis Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. fratris nostri charissimi, qui videlicet nostro nomine ac in persona, præfato generali Conuentui præsedit & præfuit, præsentauerunt, nobis infrascriptos Articulos, in eadem publica Congregatione, communibus ipsorum votis & suffragijs, pariq; & vnanimi consensu conclusos: Supplicantes nobis humiliter, vt omnes & singulos eos Articulos, ac omnia & singula in eisdem contenta, ratos, gratos & accepta habentes, nostrumq; Regium Consensum illis præbentes, autoritate nostra Regia elementer acceptare, approbare, roborare, ratificare, & confirmare, atq; tàm nos ipsi obseruare, quàm per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

ARTICVLI DOMINORVM

PRÆLATORVM, BARONVM, MAGNATVM & NOBILIVM, CÆTERORVMQ; STATVVM & ORDINVM Regni Hungariæ, partiumq; ei subiectarum, in generali eorum Congregatione, pro festo beati Blasij Episcopi & Martyris, siuè tertio die nuper effluxi mensis Februarij, Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo, tertio, indicta & Posonij celebrata, conclusi.

Præfatio, in qua Status & Ordines Regni, Maiestati suæ Cæsareæ, pro pio & paterno planè, quem erga illos gerit, affectu, eximiaq; cura & solicitudine, immortales gratias humiliter agunt, illamq; deinceps quoq; continuari petunt. ART. I.

EX Sacratissimæ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Propositionibus, per Serenissimum Principem, ac dominum Matthiam, Archiducem Austriæ, &c. Dominum itidem clementissimum, exhibitis, pium paternumq; affectum, atq; eximiam curã, qua afflictissimum hoc Regnum, Hungariæ complectitur, Status & Ordines demissè intellexerunt. Pro hac igitur tanta tamq; immensa suæ Maiestatis Cæsareæ atq; Regiæ benignitate, fideles sui Regnicolæ, perpetuas & immortales agunt gratias, præsertim cum manifestissimè perspiciant, Maiestatem suam Cæsaream, post tot continuorum bellorum fluctus & calamitates, tandem ad quietum & summis votis expetitum, optatæ pacis portum perducere, ac ex infestissimi hostis Turcæ tyrannide, Regnum hoc vindicare satagat: Supplicantes humillimè suæ Maiestati Cæsareæ, vt fortem, excelsumq; & inuictum animum, quem in defensione istius Regni, studioq; tollendarum calamitatum hactenus habuit, deinceps quoq; continuare dignetur.

Subsidium pro militum intertentione, anno præterito decretum, hoc quoq; anno, per Status Regni offertur, ad Cameras suæ Maiestatis Cæsareæ administrandum: Item de militis Hungari conductione, & rationibus postea Maiestati suæ Cæsareæ, de perceptis & erogatis dandis, faciendaq; superindè relatione Regno, vtq; Sclavonia & Turcis subiecti, dimidium Dicæ soluant.

QVANTVM itaq; ad postulata suæ Maiestatis Cæsareæ atq; Regiæ attinet, licet Status nihil magis in votis haberent, quàm, vt grauissimè laboranti patriæ, maioribus nunc, quàm unquàm antea, auxilijs succurrere possent. Verùm, quibus calamitatibus impediantur, quò minus id præstare valeant, jam sæpius suæ Maiestati, tàm oretenus, quam scripto explicauerunt; vndè omninò impossibile est, vt numerosum aliquem milité, per ipsos cōducendum, hoc anno in campū sistare possint. Vt tamen in tantis miserijs calamitatibus constituti, aliquid vltra vires etiam faciant, ac ne sibi ipsi desint; Offerunt, prout anno superiori Sexingentesimo tertio, supra Millesimum, factum, à singulis domibus Colonicalibus & inquilinarijs, demptis excipiendis, & exceptis combustis per Tartaros, & aliàs desolatis, consueta rectificatione, tàm auctionis, quàm diminutionis domorum, præsentibus Dicatoribus, Cameræ iuratis, præuia, per Vicecomites & Iudices Nobilium Comitatuum, Centum & quinquaginta denariòs; Domini verò terrestres, loco generalis insurrectionis, quinquaginta denarios salua tamen libertate Nobilitari permanente. Quæ quidem Contributio, ad manus Camerarum suæ Maiestatis, quæ suos in singulis Comitatibus possessionatos Nobiles & Iuratos habeat Perceptores, non in alium vsum, sed in solam militum Hungarorum nouam conductionem conuertenda, subministretur. Militis autem huius conductio, domini Generalis Capitanei Hungarici officio, in partibus Regni Hungariæ inferioribus, incumbet: In partibus verò superioribus, nominantur Magnifici domini, Stephanus Petheô, Valentinus Homonnaij Franciscus Magochij, Franciscus Prinij, Ladislaus Pethe, ex his vel alijs Huugaris, sua Maiestas, quem voluerit, & cum quo transigere poterit, eligat. Ita tamen, vt tàm Capitanei, de intertento milite, quàm verò Cameræ, de perceptis & erogatis, liquidas & sufficientes rationes suæ Maiestati Cæsareæ & Regiæ, & relationem Regno, reddere, teneantur. Sclauonia & Turcis subditi, more solito, medium soluant, iuxta Articulum septimum, Anni Millesimi, Sexcentesimi, secundi.

Vt iuxta Articulos superiorum Annorum, tàm sua Maiestatis Cæsareæ, quàm aliorum omnium bona, solutioni huius Contributionis sint subiecta, & vt illi, qui Dicatorem in bonis non admiserunt, vel bona Nobilium infestarunt, pœna superindè statuta, puniantur.

ART. III.

VT autem Contributionis supradictæ solutioni, omnia, tàm Maiestatis, quàm aliorum bona, subiecta sint, referunt se Status ad Articulos annorum superiorum, atq; vt tàm in Hungaria, quàm Sclauonia, Germani Confiniorum Capitanei, & alij quoq;, qui vel Dicatorem in bonis non admiserint, vel bona Nobilium infestauerint, pœna superindè sancita, afficiantur, statuunt.

Super Iuramento Vicecomitum, & alijs ad Dica Regiæ exactionem spectantibus, Articulis præteritorum Annorum inhæretur, & noui Exactores rationum priorum Annorum constituti.

ART. IV.

DE Iuramento Vicecomitum, Iudicum Nobilium, & eorum, ad quos rectificatio domorum spectat, & fraude euitanda, exigendis rationibus ab Officialibus suæ Maiestatis, & publicarum pecuniarum Perceptoribus, inhæretur Articulis præteritorum Annorum, in quibus omnibus, quid agendum & qualiter procedendum sit, abundè declaratur. Pro exactore rationum priorum Annorum, in Comitatibus Regni superioribus, loco Gregorij Tyrnauiensis, Petrus Mladessouith, in Sclauonia, Reuerendissimus dominus Episcopus Zagrabiensis, Magnificus dominus Nicolaus Istuanffij & Egregius Stephanus Berijzlavvith nominantur.

De Anno-

De Annorum Superiorum Restantijs exigendis, & quibus, quomodoue assignari debeant. ART. V.

RESTANTIÆ vniuersæ Annorum superiorum, ad Cameram dari non possunt, miles enim ex præteritorum annorum Contributione conductus, necdum integrè est exsolutus. Itaq; vt restantiæ absq; respectu personarum exigantur, & ad decimum quintum diem Maij, proximè venturi, manibus generalium Perceptorum assignentur, æquitatis ratio postulat, qui facta ex ijs, militibus solutione, id quod residuum erit, ad manus Cameræ, in solam militum intertentionem conuertendam, assignent.

In milites, seruitia sua non expleto anno deserentes, & maioris lucri causa, ad exteros sese conferentes, quiue militem non miserunt & alia non præstiterunt, superiorum Annorum Articuli renouati, deq; dominorum & Nobilium bonis, militibus in Officiolatus & Quarteria non distribuendis, ac prædonibus puniendis ART. VI.

DE ijs, qui non expleto anno, seruitia sua deserunt, aut maioris lucri gratia, ad exteros se conferunt, quiq; annis superioribus militem non miserunt, intertenuerunt, aut tempore ad hoc requisito, non statuerunt, vel suos ex Castris reuocauerunt, aut militem insolentem, miseræ plebi obtrudere consueuerunt, prout id ex plerisq; confinijs, tàm superiorum, quàm istarum Regni partium, fieri solet, inhæretur Articulis præcedentium annorum. Ne itaq; sua Maiestas, dominorum & Nobilium Oppida atq; villas, in propria dominia & Officiolatus, ac in Sclauonia, Quarteria, militibus distribui, & sic miseram plebem opprimi patiatur: Status & Ordines demissè supplicant, & statuunt, quod vbicunq; tales prædones, extra Confinia diuagari & miseram plebem, rebus & bonis suis spoliare comperti, & apud Capitaneum suum, per Vicecomites, vel alios quospiam, delati fuerint, extunc generalis Capitaneus, cui subsunt, tales iuxta demerita, sub amissione officij sui, punire, atq; ad stationes & confinia ipsos reducere teneatur.

De stipendio militari, generali & particulari Insurrectione & alijs, deq; laboribus gratuitis, Anni proximè præteriti Articuli septimus & octauus renouati. ART. VII.

DE stipendio militari, Insurrectione tàm Generali, quàm particulari, de mittendo in Castra milite, ac per duos menses ibidem intertenendo, item de gratuitis laboribus præstandis; referunt se Status ad Articulos anni superioris Sexcentesimi tertij, & ad limitationem subsequentem; ita tamen, vt hi gratuiti labores, in nullum alium vsum, quàm in Confiniorum necessitates, conuertantur. Sclauonia, de suis Confinijs, & de restauranda Chiazma prospiciat.

Limitatio laborum gratuitorum, ad Confinia præstandorum, per Status & Ordines Regni hoc modo facta. ART. VIII.

AD Varadinum, quatuor illuc pertinentes Comitatus; ad Zachmar, totus Comitatus Zachmariensis, item Comitatus Vgochia & Bergh. Ad Kallo, Comitatus Zabolch, exceptis bonis domini Sigismundi Forgach, ad S. Martinum pertinentibus. Ad Onod, totus Comitatus Abauijvvariensis, cum vno inferiori processu Comitatus Zempliniensis. Ad Zendereo, Comitatus Saaros & Scepusiensis. Ad Diosgeor, Comitatus Borsod & Thorna. Ad Thokaij, tres processus Comitatus Zempliniensis & Comitatus Vngh. Ad Puthnok, dimidia pars Comitatus Geomeriensis. Ad Balogh, alter processus Comitatus Geomeriensis cum bonis ad illam arcem pertinentibus. Ad Eched, bona Spectabilis ac Magnifici domini Comitis Stephani de Bathor. Ad Fijlek, Comitatus Kijs Honthensis. Ad Zechen, totus Comitatus Neugradiensis. Ad Devvin, Comitatus Lipthoniensis.

Ad Nograd,Dregel & Palanka, Comitatus maior Honthensis. Ad Kekkeö Comitatus Arvva, Ad Wijuar, totus Comitatus Nitriensis. Ad Hathuan, totus Comitatus Heuessiensis & Turocziensis. Ad Strigonium,Vacium, Vissegrad & Damas,Comitatus Posoniensis,Barsiensis & totaliter Trinchiniensis. Ad Iaurinum, Comitatus Iauriensis,Mosoniensis & bona Ovvariensia. AdComaron,Comitatus Comaroniensis. Ad Papa,totus Comitatus Soproniensis,exceptis bonis Orphanorum quondam domini Francisci Nadasdij, quæ ad Arcem Sárvvar,& bonis Reuerendissimi domini Martini Pethe de Hétes, Archiepiscopi Colocensis & Administratoris Episcopatus Iauriensis ac Locumtenentis Regij, in dicto Soproniensi & Castriferrei Comitatibus sitis,quæ ad Arcem ipsius Keszeo vocatam,deputata sunt, ac loca horum,bona Kamenes allia vocata,& processus dicti Comitatus Castriferrei, Michaelis Egetvvarij nuncupatus,ad dictam arcem Papa ordinata. Ad Wesprimium,Comitatus Vesprimiensis & pars Comitatus Zaladiensis, vltrà fluuium Lesencze,exceptis pertinentijs ad Sijmegh,Ad Palotha,Comitatus Zaladiensis, & processus Ioannis Légman. Ad Zezel,propriæ pertinentiæ. Ad Zenthgroth, propriæ pertinentiæ. Ad Kijskomar,Comitatus Simigiensis, Ad Peleske,Comitatus Castriferrei tertius processus. Ad Egervvar,Kapornak,& Zalavvar,quartus processus Comitatus Castriferrei. Ad Keormend,propriæ pertinentiæ. Ad Sijmegh,propriæ pertinentiæ. Ad Légrad,Insula Murakeöz.

De exigendis gratuitorum laborum restantijs. ART. IX.

DIGNVM etiam est,vt restantiæ gratuitorum laborum exigantur, præsertim autem in locis nondum desolatis,nam loca deserta,nihil plàne dare possunt,atq; in Confiniorum ædificia conuertantur.

Circa Annonam, eiusq; & bombardarum bellicarumq; munitionum vecturam, ob certas rationes, Status Regni, anni præteriti Constitutionibus inhærent. ART. X.

IN prouisione,conseruatione & conuectione Annonæ, & vectura bombardarum & munitionum bellicarum, cuperent quidem Status & Ordines,postulatis Sacræ Maiestatis Cæsareæ satisfacere,sed ob extremam & longè maiorem, quàm annis superioribus,egestatem,ac iumentorum penuriam,quæ tàm ex eorum lue, quàm militum insolentia & depredatione euenit,ea quæ deberent præstare, non possunt. Ideò insistunt Constitutionibus anni præteriti,erit tamen vnicuiq; liberū, pro posse & competenti precio,habita securitate,operam suam in hanc rem impendere.

Ciuitates Regni superiores,iumenta sua, quæ vecturæ Artoleriæ applicantur, soluto exercitu, sibi iterum restitui supplicant.

ART. XI.

SVPPLICANT etiam liberæ Ciuitates partium Regni superiorum, ne ipsorum iumenta,quæ vecturæ bombardarum subijciuntur, in Transiluaniam compellantur,neq; ea Capitanei,Artellariarum Magistri,aut alij quicunq; ad proprios vsus & labores conuertant,sed soluto exercitu,iterùm cuncta ipsis restituantur.

De refrenanda licentia Haidonum, & aliorum,cuiuscunq; nationis vagabundorum militum, deq; modo contra illos procedendi.

ART. XII.

DE haidonibus,& militum cuiuscunq; nationis vagabundorum licentia refrenanda,inhærent Articulis annorum superiorum , cum renouatione Articuli tricesimi sexti, anni Millesimi, Quingentesimi,Sexagesimi tertij. Hoc statuentes,vt si qui, vel Nobilitatem,vel autem miseram plebem, per tales liberos Haidones oppressisse,damnaq; intollerabila intulisse, manifestè comperti fuerint, dignetur sua Maiestas, per dominum Locumtenentem, ad partis læsæ instantiam, iuxta Articulum tertium, anni Nonagesimi noni, iudicium impendi curare.

Liceat

Liceat autem, qui in Comitatu aduersus tales agere voluerint, iuxta eundem Articulum procedere, & si tales comprehendi poterint in crimine, Vicecomites iudicium impendant. De Germanis autem Capitaneis, sua Maiestas, iudicium & satisfactionem quærulantibus impendi faciat.

Commissarij ad deductionem militum ordinati, qui nam esse debeant.

ART. XIII.

De Commissarijs verò, ad deductionem & condescensionem militum necessarijs, statuitur, vt tàm in partibus Regni superioribus, quàm etiam inferioribus quilibet Comitatus, suum proprium, atq; è medio ipsorum, alicuius authoritatis & respectus virum, iuxta Articulum Tricesimum septimum, anni Nonagesimi septimi vnum vel alterum designatum habeat Commissarium, illumq; tempestiuè eligat & ordinet, qui transeuntem militè commodè ducere, ipsiq; de rebus necessarijs, pro condigno precio, prospicere possit & valeat.

Vt Capitanei Confiniorum, eorumq; Vicecapitanei, & milites stipendiarij, quorumuis prædia, terras, syluas, aquas & similia, violenter non occupent, nec quorumcunq; colonos recipiant, & vt à colonis in bona dominorum & Nobilium condescendentibus, Decimæ exigantur, & dominis terrestribus, terrarium siue Nona ab eis præstetur. ART. XIV.

Conquernntur hoc loco domini Prælati, actàm Ecclesiasticus, quàm Secularis ordo vniuersus, signanter verò Capitula Strigoniensis & Iauriensis, cum reliquis, quod tàm milites stipendiarij, confiniorum Capitanei, vel eorum Vicecapitanei, prædia, terras arabiles, capturas piscium & Vsonum, ac fœni lia & syluas, sine vlla dominij recognitione, occupant, & quod quorumcunq; colonos recipiunt, & nihilominus in prioribus bonis ipsos tuentur, idem fieri dicitur etiam in Sclauonia & Croatia per Valachos, qui nuper ex ditione Turcica eò se contulerunt, in Episcopatus Zagrabiensis, & nonnullorum dominorum & Nobilium bonis, vt potè dominorum, Comitis à Zrinio, Dersffij, familiæ Pogan, ac aliorum. Statuitur itaque, vt ab his omnibus Decimæ exigantur, & dominis terrestribus terragium siuè Nona præstetur. Inter alia autem, à dictis Valachis in Sclauonia & Croatia, qui & iurisdictioni dominorum terrestrium, ratione fundi & Sessionis, quam incolunt & inhabitant, subiecti sint, idem præstetur. Requirat itaq; sua Maiestas Cæsarea, Serenissimum Archiducem Ferdinandum, ne tales, contra dominos ipsorum terrestres, defendat, supradictorum Confiniorum etiam Capitaneis, tàm Germanis, quàm Hungaris, seriò præcipiat, vt ab eiusmodi violentijs & damnis inferendis abstineant.

Commissio reuisionis ac rectificationis metarum Regni, denuò per Status Regni demissè expetitur hoc adhùc anno instituenda, ad quam etiam Commissarios suos sufficientes nominarunt.

ART. XV.

De metarum reuisione & rectificatione, singulis Diætis aliquid statuitur; vt itaq; sua Maiestas Cæsarea, Commissarios Austriacos & Styriacos, iam statim nominet, atq; ad primum diem proximè venturi mensis Iunij, hæc rectificatio instituatur, Status & Ordines supplicant. Prò Commissarijs Hungaris, pro Austria, Styria & Morauia, relinquuntur ijdem Commissarij, qui annis superioribus sunt denominati, dempto Ioanne Ioo, in cuius locum, modernus Personalis Ioannes Lippaij, loco autem Nicolai Perekedij, Cameræ Hungaricæ Consiliarij, Magister Paulus Megierij, substituitur, quibus adduntur pro Austria, Magnificus dominus Thomas Zechii, pro Morauia, Reuerendissimus dominus Episcopus Vaciensis, Ioannes Bossanij & Magister Michaël Zerdahij, Pro metarum Polonicarum & Sylesiacarum ac tredecim Oppidorum & Villarum, ad Arcem Lu-

blio

blio pertinentium, rectificatione, nominantur, Reuerendissimi domini, Georgius Zalahnokij Episcopus Quinqueecclesiensis, vel Episcopus Chanadiensis, item Magnifici domini Sigismundus Forgach, Michael Zzobor, Petrus Reuaij, Paulus Melith, necnon Egregij, Stephanus Hoszutothij, Sigismundus Kapij, Stephanus Loniaij & Nicolaus Dengeleghij, quæ rectificatio statim post festum Sanctæ Trinitatis institui debebit, & non saltem metæ rectificandæ erunt, sed & vniuersæ discordiæ & controuersiæ, quæ inter vniuersos fideles suæ Maiestatis Hungaros; in ijs Confinijs bona habentes, ac Polonos, Morauos & Silesitas, necnon Magnificos dominos, Nicolaum & Franciscum Dersffij, cum Komorovvsky, Moysen Zunigeh, cum Duce Teslinіense, Georgium Horuath de Palocha, cum Lubomerskij & Episcopo Cracouiensi, Andream Iakusfijih, cum Kavvka, Sigismundum & Emeris cum Baialla, cum Serotina & Nekes, necnon Holych & Zakolcza, cum Hodolin & Ztrasnicza vigent, complanentur. Dictis autem Commissarijs, partes interessatæ de honestis sumptibus prospiciant.

De reducendo in pristinum valorem salis lapidei pretio, Regnicolæ Maiestati sua humiliter supplicant. ART. XVI.

CONQVERVNTVR præterea Status & Ordines, quod eum arcem Huzth, Magnificus Georgius Basta, vna cum fodinis salium hoc tempore possideat, is Centenarij salis pretium, tribus florenis auxit, qua auctione vectores salium territi, iam sales eò uehere non audent, vnde prouentus quoq; Tricesimales suæ Maiestatis, non parũ minuuntur, publicum etiam bonum defectum patitur. Vt itaq; pretium talis salis lapidei, in pristinum valorem reducatur, Status supplicant.

Vt nonnulli in Iudicijs & expeditionibus defectus corrigantur, Status Regni demissè petunt. ART. XVII.

HOC loco Status & Ordines Regni, Maiestati suæ Cæsareæ, domino ipsorum clementissimo, humilimè etiam supplicant, vt eum quandoque contingat, quod ad nonnullorum simplices delationes & expositiones, fideles suæ Maiestatis, per mandata Regia, in præsentiam domini Locumtenentis, vel Commissariorum euocati & comparere, priuilegiaq; sua producere, ac iura accipere iubentur, vt in negotio familiæ Chernekianæ, alijsq; factum est: Dignetur Maiestas sua Cæsarea, huiusmodi legibus Regni contrarias expeditiones & iudicia benignè interdicere, quod de sua Maiestate Cæsarea, perpetuis studijs promereri non omittent.

De non capiendo ad simplicem delationem quoquam, eiusq; bonis occupandis, sed vt extraserialiter contra talem, ac etiam contra falsos delatores, procedatur, Status Regni supplicant. ART. XVIII.

SVPPLICANT etiam Status & Ordines, ne ad simplicem delationem quorundam, quispiam capiatur, eiusq; res & bona occupentur, sed iuris ordine seruato, extraserialiter contra huiusmodi procedatur, coram domino Locumtenente, si res non tendat ad Notam infidelitatis. De falsis autem delatoribus, Articulus nonus, anni Millesimi, Quingentesimi, Sexagesimi septimi, ad eundem modum renouatur, vt simili modo, coram domino Locumtenente, extraserialiter processus instituatur. Super his verò superioribus, decimo sexto, decimo septimo & decimo octauo, Articulis, Maiestas sua Cæsarea benignè inquiret, eisq; pro huius temporis statu, quoad fieri poterit, clementer medebitur.

Dominus Ernestus à Molard, Baro, vna cum dominis Ioanne & Ludouico similiter à Molard, fratribus suis carnalibus, in Hungaros recipiuntur. ART. XIX.

PRÆTERFA, Status & Ordines perspectum habentes, non saltem in rebus omnibus dextrè gerendis, fidelem & strenuam operam, Spectabilis ac Magnifici domini Ernesti à Molard, liberi Baronis in Reinegg & Drosendorff, Ordinis Sanctæ Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, equitis torquati, Sacræ Cæsareæ, Regiæq; Maiestatis Consiliarij, à Cubiculis, & per Austriam Locumtenentis, necnon à sua Maiestate Serenissimo Archiduci Matthiæ adiuncti intimi Consiliarij, eiusdemq; sicuti & Serenissimorum Archiducum Maximiliani & Alberti Camerarij, sed & eam, quam apud Sacratissimam Cæsaream Regiamq; Maiestatem dominum ipsorum clementissimum, in arduis & maximis rebus promouendis exhibet diligentiam & studium, præclaras eius virtutes, animiq; dotes, necnon syncerum peculiaremq; in nationem hanc Hungaram, ex qua de linea materna, originem quoque duxit, affectum, superueniente intercessione Sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis, ac Serenissimi quoque Principis, domini Matthiæ, Archiducis Austriæ, &c. dominorum ipsorum clementissimorum, ob fidelia etiam sua seruitia, suis Maiestatibus præstita, eundem dominum Ernestum à Molard, Status & Ordines, vna cum Magnifico domino Ioanne à Molard, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Consiliario bellico & præsidij Comaroniensis supremo Capitaneo, ac Serenissimi Archiducis Matthiæ Camerario, necnon Reuerendo domino Ludouico, Ordinis beatæ Mariæ virginis Teutonicorum, Commendatore, & Sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Consiliario, quos etiam parem fidem & fidelitatem hactenus subijsse, & inposterum subituros sperant, fratribus suis carnalibus & uterinis, in numerum & consortium suum acceptauerunt & cooptauerunt, ac superinde solitum ab ipsis iuramentum receperunt. Ita tamen, vt tàm ijdem domini à Molard, quàm alij domini Germani, ac cæteri quoque, cuiuscunque nationis, in numerum Hungarorum recepti & acceptati, ac deinde quoq; acceptandi, licet iuramentum deposuerint, & Constitutionibus Regni nomina ipsorum inserta fuerint, attamen pro maiori eorum posteritatisq; robore, priuilegia sua & testimoniales, ex cancellaria Hungarica, prout id etiam in alijs Regnis & prouincijs fieri consueuit, excipere debeant & teneantur.

Domini Carolus & Ernestus Kolonichij fratres domini Sigefridi à Kolonich, similiter in Hungaros recipiuntur.

ART. XX.

AD benignam porrò Sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis admonitionem, condignum habentes etiam respectum Status & Ordines, fidelitatis & fidelium seruitiorum, Magnifici Sigifridi à Kolonich, quæ ipse hactenus indefessè & constanter præstitit; freti itaq; Status & Ordines, fratres quoq; ipsius domini à Kolonich, Magnificos, Carolum & Ernestum à Kolonich, vestigia eius fideliter imitaturos, eosdem in cœtum & numerum eorundem similiter cooptauerunt.

De restituendo in integrum à Proscriptionis labe Egregio Nicolao Segniey.

ART. XXI.

CÆTERUM, quia Egregius Nicolaus Segniei, annis superioribus, in publicis Constitutionibus, inter Proscriptos insertus fuerat, ob nonnullorum querelas, sed cum ipse se nunc coram Statibus & Ordinibus, testimonio Capitaneorum & aliorum sufficienter excusauit; Decretum est, eum ex benigna suæ Maiestatis gratia, in integrum restituendum esse.

Vt Religionis negotium, in publicis tractatibus & Diætis, nemo temerè moueat.

ART. XXII.

POSTREMO, Siquidem Maiestas sua Cæsarea atq; Regia tùm ex fide digna Relatione, tùm verò ex binis, per supradictum Serenissimum Principem, dominum Matthiam, Archiducem Austriæ, &c. fratrem suũ charissimũ suæ Maiestati transmissis

transmissis Supplicantibus eorum, qui sese potiorem Statum & Ordinum Regni Hungariæ partem indigetarunt, non sine admiratione, tanquàm rem hactenus inusitatam & planè nouam, displicenter intellexit, quidam illi, de turbatione ipsorum Religionis, ademptione suarum Ecclesiarum & prouentuum, ac submotione Ministrorum verbi, siuè Concionatorum suorum, tàm scripto, quàm oretenus eius Serenitati proposuerunt & explicarunt, atque insuper ab eius Serenitate intercessionem, ad Sacram Maiestatem suam Cæsaream & Regiam, eum in finem, demissè flagitarunt, vt omnibus per suam Maiestatem eis restitutis, in libero suæ Religionis exercitio permanere, illoq; frui & gaudere queant. Qui tamen, ab eius Serenitate requisiti & admoniti, neq; scriptum suum, qui se illius participem facere cogitasset, proprio, nomine subscribere, neq; cuius Religionis sint, profiteri, quasuè Ecclesias & prouentus sibi ademptos esse, quæsti sunt, explicare voluerunt, sed circa generalia solummodò persistentes, haud facilè à concepta opinione sese dimoueri passi sunt, & per hoc publicos Diætæ huius tractatus, non modicum retardarunt, cæterisq; fidelibus Regni Statibus, & scandalum, & malum, exemplum præbuerunt. Quod quidem sicuti suæ Maiestati Cæsareæ & Regiæ gratum esse non potest, ita quoq; sua Maiestas, recordari nequit, quod illis per suam Maiestatem, in prætensa eorum Religione, aliqua iniuria irrogata, vel aliquæ Ecclesiæ aut earum prouentus, in bonis præsertim eorum proprijs & auiticis, eis ademptæ fuissent, neq; sua Maiestas Cæsarea, super obnubilatis eorum prætensionibus, sese vllomodo resoluere valet; præsertim quod existimet, illos aliquam cum liberis Ciuitatibus Regni, quæ sacræ Coronæ, & suæ Maiestatis Cæsareæ, tanquàm inclyti Regis Hungariæ, peculium sunt, collusionem, in vrgendo nouæ Religionis exercitio, habere. Cum autem sua Sacratissima Cæsarea Regiaq; Maiestas, instar diuorum quondam progenitorum & prædecessorum suorum, tàm Imperatorum Romanorum, quàm verò Regum etiam Hungariæ, fœlicium recordationum, Sacrosanctam Catholicam Romanam fidem & Religionem, syncère profiteatur, illam quoq; in Regnis & prouincijs suis, ac præsertim in hoc suo Hungariæ Regno, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ex tot falsis opinionibus & sectis erutam, vbiq; florère & dilatare cupiat, ac ex debito Regiminis sui officio, pro virili etiam tueri & defendere satagat. Idcircò Maiestas sua Sacratissima, motu proprio, deq; Regiæ suæ potestatis plenitudine, tàm Sancti Regis Stephani, huius gentis Hungaricæ Apostoli, quàm verò omnium aliorum diuorum quondam Hungariæ Regum, suæ Maiestatis prædecessorum, Decreta, Constitutiones & Articulos, pro præfata Sancta Catholica Romana fide & Religione, quouis tempore præclarè & piè editos & euulgatos, non secus, ac si de verbo ad verbum, præsentibus literis insertæ & inscripti essent, hoc speciali suo Articulo, clementer ratificat & confirmat, ac ne deinceps, in generalibus præsertim & arduis Regni tractatibus & Diætis, alicui, Religionis negotium, ad remorandos & interrumpendos publicos tractatus, quouis colore & prætextu impunè mouere liceat, benignè statuit & seriò decernit, vt contra tales inquietos, rerumq; nouarum cupidos, pœna à diuis quondam Regibus Hungariæ, in eisdem Decretis & Articulis statuta, confestim procedatur, & cæteris in exemplum, irremissibiliter puniantur.

CON-

CONCLVSIO.

NOS Itaq; huiusmodi supplicatione fidelium subditorum nostrorum, dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, cæterorumq; Statuum & Ordinum supradicti Regni nostri Hungariæ & partium ei subiectarum, clementer admissa, præfatos vniuersos & singulos Articulos, nobis modo præmisso præsentatos, simul & vltimum, per nos benignè & necessariò additum Articulum, præsentibusq; literis nostris, de verbo ad verbum insertos & inscriptos, ac omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, eisdemq; nostrum Regium Consensum, beneuolumq; pariter & assensum præbuimus, ac illos & quæuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, roborauimus, ratificauimus, & confirmauimus. Offerentes Nos clementer, quod præmissa omnia, in omnibus punctis, clausulis & articulis, tàm nos ipsi obseruabimus quàm per aliosomnes fideles subditos nostros, cuiuscunq; Status & conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imò acceptamus, approbamus, ratificamus & confirmamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, prima die Mensis Maij, Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo quarto. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo nono, Hungariæ & aliorum tricesimo, secundo, Bohemiæ verò, anno similiter vigesimo nono.

Da veniam, beneuole Lector, quod reliquorum Annorum Decreta his non adiunxerim. Ita in votis erat, sed vastum nimis euadebat opus. Cætera brevi dabo, quæ dum expectas his, interim benè diu viere. Vale.

FINIS.



INDEX TOMI TERTII DECRETORVM PRIOR, FOLIA, POSTERIOR ARTICVLVM DENOTAT.

Dersffij

Militare

O.

N.

P.

Q.

R.

Tritici

FINIS INDICIS.

